This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



60000415UG

30.

7/2.

# M. FABI QVINCTILIANI

## INSTITVTIONVM

# ORATORIARVM

## LIBER X.

DENVO RECOGNITVS ET ANNOTATIONE CRITICA

ET GRAMMATICA INSTRVCTVS

A

M. CHRISTIANO GOTTL. HERZOG.



LIPSIAE

SVMTIBVS CAROLI FRANC. KOEHLERI.

1830.

712.

# PROOEMIVM.

Praefationem scribere quum semper mihi visum sit habere discriminis aliquantum ac difficultatis homini diligenti viriumque suarum conscio, tum maxime in hoc opere meo qualicunque benevolis lectoribus et commendando et in publicum edendo nec paucis nec parvis me circumventum sentio angustiis. Nam primum quae omnis praefationis natura esse debeat et indoles mecum reputanti, scilicet ut totius operis in unum veluti contracta species ante oculos ponatur, accidit, ut quam facile in utramque partem peccari possit, non sine aliqua animi sollicitudine animadverterem, tum quae ipse expertus eram, tum quae aliorum imprimis nostra memoria hominum me docuerant exemplis consideratis. Etenim ut procul sint plerique a calumnia et iniusta quadam suae in aliquo scriptore impensae operae cavillatione, tamen ne sub verecundiae quam praeferunt ac pudoris latebra insolentiae aliquid occultum sit et arrogantiae, cavendum est nostri saeculi hominibus, fervidiore totius antiquitatis Graecae et Romanae studio uti calentibus, ita ad sententias priorum impugnandas et quae diuturna quadam sancita habebantur temporum auctoritate immutanda pro virium suarum fiducia, ne dicam confidentia, proclivibus. Itaque quemadmodum in laude et honore ducendum est, quae vetustate corruerint restaurasse, sordibus obtecta et inquinata purgasse et ad pristinum splendorem revocasse, vitiosa et hominum vel pravitate vel perversitate corrupta in prioris integritatis statum restituisse: sic haud immerito in suspicionem veniunt atque optimi cuiusque animum ac mentem a se abalienant, qui ingenio saeculi nimium concedentes, tum demum macti virtute esse, officioque satis fuisse opi-

nantur, quum nihil omnino intactum reliquerint, quin aliqua saltem ex parte tentaverint, ac firma quoque et fixa novis additis fulcris pro sua parte firmiora reddere conati sint. Ea enim esse solet criticae artis, qua nostra aetas praeter ceteras pollere vulgo fertur, ratio et conditio, ut facile modum modestiamque excedat ac parum victoriae si quam adepta est, in adversariis temperet, vel ut parum curet, quae sit testium vel auxiliarium veluti copiarum fides, quaeve fallax et subdola observantia, quaeque religio aetate provectioribus et ipsa vitae diuturnitate consummatis viris ex laudabili sane Lacedaemoniorum instituto debita. Accedit quod inde ab Aristarcho eiusque sociis iudicium, quod sibi multi omnium saeculorum viri docti arrogarunt, quoque vel singulos scriptorum antiquorum locos vel sententias in perpetuum omni honore ac dignitate privatas cernimus, legitimum prorsus non sit habendum; plus enim sibi nonnulli sumserunt, quam quod ipsorum vel ingenio vel diligentiae vel eruditioni debebatur, ideoque exstiterunt quasi tyranni, iniusta dominatione rerum potiti. Ac factum est hominum quidem tum socordia tum nominum illustrium, etiamsi ingentem famam casu ac fortuito magis quam merito nonnulli nacti sint, insito quodam reverentiae sensu, ut per longius interdum spatium eiusmodi superborum hominum duraret imperium, quemadmodum in rebus publicis regna iniuste parta heu nimis diu retinuisse atque etiam nunc retinere videmus saevos et crudeles dominos ac tyrannos. Quare primum quidem ipse se quisque interroget atque examinet, quo iuris titulo potestatem severioris alicuius iudicii exercendi sibi vindicasse existimari velit, quibus aliorum de se testimoniis ubicunque pronunciatis paullisper animo confirmatus novum munus suscepturus sit, quo numine vel favente vel abnuente profligaturus: qua data opportunitate consilium inierit, num mala ambitione ductus, an necessario coactus; num quod paucis prospere contigisse nostra aetate vidimus, a bibliopolis maxime liberalioribus et iustam gratiam non modo habentibus sed

debitam grato animo solventibus, excitatus vel imploratus; an denique, quod honestissimam mihi semper visum est excusationis speciem praeferre, iuventutis literarum studiosae commodis vel servandis vel adaugendis, et optimarum artium sincero quodam atque ingenuo amore commotus. Ac dum nescio, nec si sciam, audeo palam pronunciare, quae mei ingenii meorumque studiorum sit ratio: potius enim semper habui vitae aliquod adhuc transactae provocare posse testimonium, et rebus maxime scholasticis aliquanto plus conferre existumo usum rationi consentaneum, quam de institutione et doctrina subtiliter a multis praecepta, a paucis usu comprobata: id unum repetere ac denuo profiteri non dubito, Quinctilianum prae ceteris eiusdem aetatis scriptoribus dignum esse, quocum liberalioris disciplinae atque ingenii iuvenes interiorem ineant familiaritatem. Quod quum pluribus demonstrare nec loci habeam nec temporis, ipsa enim egregii scriptoris praestantia tenui mea atque exili laudatione non indiget, unum reticere nefas puto, singulari quadam eaque exoptatissima sorte factum esse, ut optimo scriptori duo probissimi gentis nostrae viri contigerint tum fautores ac sospitatores, tum interpretes et ab iniuriis vel tempestatum vel insciorum strenui defensores, Gesnerum dico atque Spaldingium: quorum utrumque nescio num ab animi ac sensuum pietate, morumque honestate, an ab ingenii et doctrinae mira quadam copia et subtilitate, an a laudabili sane in disputando et iudicando modestia et liberalitate plus apud aequales commendationis habuisse, atque in perpetuum habiturum esse statuam. Verum quemadmodum omnibus ulla in re satis fecisse propter naturae humanae imbecillitatem vix fieri potest, et quin unquam factum sit recte adhuc dubitatur, ita lubenter fatemur, salva tantorum virorum dignitate, nonnulla certe, ne dicam multa reliqua mansisse vel obscure a Quinctiliano dicta, vel a librariis depravata, vel ex codicum auctoritate refingenda atque emendanda, quae viri illi clarissimi et diligentissimi explorare ac perscrutari

vel noluerunt, vel idoneis auxiliis destituti, in iustum ordinem redigere omnibusque ex partibus sanare non potuerunt. Pariter omnes norunt rei literariae qualis apud nostram gentem esse solet periti, non adeo multos esse tum iuvenum Graecis et Romanis literis operam navantium, tum magistrorum eas docentium, qui optimorum scriptorum antiquorum libros vel splendide typis exaratos, vel copiosa annotatione instructos, vel alia quacunque de caussa nonnisi amplioris pretii venales factos sibi parare valeant: ea enim est popularium nostrorum vel frugalitas vel parsimonia, ut rei domesticae curam potiorem habuisse variorum librorum prodigae cuidam atque immoderatae coemtioni patribusfamilias minime turpe et indecorum existumetur, aut sordidae tenacitatis vel illiberalis ingenii triste indicium. Itaque mirum non est, et Gesneri operam et doctrinam, Quinctiliano quondam addictam, et Spaldingii eruditionem ac diligentiam eodem opere comprobatam non tam multis innotuisse, quam a quibus tam dulces tamque desideratos fructus subtilioris doctrinae degustatos esse velis. Constat praeterea, plerosque veterum scriptorum libros, brevioribus exceptis, quos ut totos perlegant iuvenes vel omnis studiorum ratio postulat, vel usus suadet, nonnisi carptim in scholis legi et tractari; opus tam amplum, tam copiosum, tam varium quamquam eiusdem argumenti atque uno eodemque consilio susceptum et ad finem perductum, quale est summi rhetoris nostri, ultra terminos vitae atque eruditionis iuvenilis procedere, maximamque partem aetatem atque ingenium virile spectare quis est qui infitias ire velit? Verumtamen imbuendi sunt vel puerorum animi colore Quinctilianeo, adducendi ad fontem illum perennem ac liquidum elegantis et copiosae orationis, deducendi ad diligentem artis rhetoricae et dialecticae magistrum, quem sequantur, aemulentur; instruendi bona scientiae et intelligentiae copia, qua abundantem mecum agnosces modestum illum ac moderatum et rerum et personarum arbitrum. Prorsus, si mea aliqua apud schola-

rum nostrarum rectores ac gubernatores esset auctoritas, in deliciis ut habeatur Quinctilianus, legem vel decretum promulgandum esse putarem, et ut aliquot eximii operis selecti libri in adolescentulorum manibus versentur, reliqui posteriori aetati asserventur edicturus essem. Quod quum mihi esset persuasissimum cum ingenti iuventutis utilitate factum iri, quumque ipse pro studiorum nostrorum ratione et scholarum huic operi destinatarum exiguo numero laetiores quosdam amplificatae cognitionis eventus prosperioresque tum in orando tum in iudicando successus animadvertissem, decimo potissimum Institutionum Oratoriarum libro cum discipulis meis communicato, non adeo necesse habui operam meam deprecari, ne frustra in illo libro interpretando consumtam aut temere collocatam existumarent, penes quos de tali negotio rite peracto rectum et aequum esse ponimus iudicium. Verum facilius ac saepius voluptate vel desiderio operis qualiscunque vel administrandi vel restaurandi trahi nos patimur, non sine molli quadam ac muliebri in nosmet ipsos indulgentia, quam id enitimur, ut molestiis laboribusque fortiter exantlatis, obstaculis ubiubi obviis e medio prudenter sublatis, iustis ac debitis priorum vel assiduitati vel doctrinae solutis, non *novi* nos aliquid ac paene *inauditi*, quod qui efficere adfectant ne saltatorum passim et histrionum partes egisse videantur timendum est, sed *melioris* vel *commodioris* ac *plenioris* quidpiam effinxisse et constituisse artis ac disciplinae peritiores iudices honorifico quodam cum testimonio adfirment. Ideo haud inconsulte agere nobis videntur, qui viribus suis aliquantulum diffidentes, naturae suae humanae memores, nonnisi lento gradu et circumspecto iudicio ad opus aliquod novum suscipiendum accedunt, in eoque tractando versantur, praesertim in quo eximii ingenii viri doctrinaeque copiis satis superque instructi ante nos summa cum laude elaboraverint. Quam sortis felicitatem quum operi Quinctilianeo a Gesnero et Spaldingio superiore saeculo contigisse post aliorum doctissimorum virorum maxime

Burmanni, operam bene nossem, quorum studia nostra memoria nonnulli vel iudicii acumine vel artis criticae novis quibusdam subsidiis tum compensarunt, tum sustentarunt: nonne satius ducere debebam ac melius rationibus meis consultum, quae forte in mentem incurrerant, dum Quinctiliani Librum X. discipulis explicabam studiisque meis privatis iterum iterumque retractabam, vel corrigenda vel modo a vulgari et tralaticia ratione paullulum diverso interpretanda, ea omnia veluti in thesauro recondita atque conclusa continere, quam bono animo, id quod interdum solet esse credulitatis, aut confidenter, quod ne sit arrogantiae verendum est, promulgare atque in lucem edere? Quae cogitationes quum animo meo paene infixae haererent mihique pro certo haberetur ac constituto, alia adolescentulos, dum disciplina scholastica utuntur, iuvare et delectare, alia virorum doctorum iudicio probari, alia iuvenili aetati, alia hominibus corroboratis viribus placere, nonnulla inter privatos parietes bene et apte dicta videri et aliquid laudis ferre, pauca in omnium ore ita versari omniumque in manibus ita esse, ut a bonitate ac suavitate inde percipienda perpetuam et absolutam aliquam habeant commendationem: gravioribus tantum quibusdam caussis ac rationibus commoveri potui, ut huncce libellum tali annotatione critica et grammatica instructum amicis et huiusmodi studiorum ingenuis amatoribus tradere auderem.

Ac primum quidem noveram suo quemque vel fato duci, vel sorti obsequi, vel quam legem in re literaria sibi quisque scribat necesse est, consilio alicui certo ac definito et rationi consentaneo inservire, a quo in neutram partem discedere liceat: inde fieri, ut quum duo faciant idem, non sit idem. Itaque unum illud, quo multi a consilio proposito deterriti sunt, non ita multum sollicitudinis menti meae iniecit, quod vel uno eodemque tempore idem mecum opus alii aggressi sunt, vel quod paullo ante nonnulli in eodem negotio cum laude versati sunt. Suam enim quemque experientiam peritiorem facere

nemo est qui ignoret, atque etiam eo nomine vitam scholasticam inexhaustam quandam continere prudentiae ac sapientiae copiam, nemo facile nisi umbratili doctrina occaecatus negabit. Accedit quod in ipsa rerum et consiliorum varietate diligenti ac sedulo omnium quae circum circa fiunt ac geruntur contemplatori haud mediocris posita est voluptas; quae quod indies uti in aliis artibus, ita et in re literaria augetur, amplificatur, non tam dolendum est, quam laetandum: modo ne in absurda opinionum varietate, aut in nugis atque ineptiis, aut in audaci et temeraria praeceptorum ac sententiarum semel edictarum tenacitate, aut indignis contentionibus iracundiaeque plenis conviciis prava simul hominum fatigetur ambitio ac crucietur. Itaque primam legem hanc nobis scripsimus, quam violare nefas ac dirum habuimus, ut a partium studio aliena esset mens nostra, nec factiosa aut seditiosa; quales nonnullorum et accepimus et comperimus, qui turbas excitasse aliosque iurgiosos et rixosos ad foedum certamen cum delectatione irrisorum commisisse laudi sibi duxerunt et existimationi. Deinde a prioribus tradita et accepta grato animo colere et observare tamdiu nobis impositum putavimus officium, donec meliora nos vel indagando reperisse vel colligendo et argumentando ad aliquam probabilitatem adduxisse iusta nos aliqua tenebat spes et fiducia. Antiqua illa, et quibus ab ipsa vetustate inest aliquid sanctitatis, ex ludibrio magis quam ex aequo collabefactare, et ex inani quadam virium superiorum vel maiorum copiarum iactantia assultare, religio fuit: nihil mutare aut exstirpare ausi sumus nisi quod vel grammaticae legibus, vel rationis sanae praeceptis, vel certis quibusdam antiquissimorum testium indiciis vel scriptoris sententiae aut disertis verbis enunciatae aut ex tota oratione manifestae repugnare pro nostro iudicio videretur. Verum quamvis cautissimo et perspicacissimo accidit, ut se hominem sentiat ab errore; ne dum scholarum magistro, multis variisque occupationibus distento, non continua sed longioribus intervallis

discissa opera in negotio tam gravi et impedito versanti ea felicitas contigerit, quam in votis habuisse sat est, scilicet ut aliquando otii tantum fortuna fautrice nobis concedatur, quantum aetate adhuc vigente ad opus aliquod plenius consummatiusve conficiendum, non tam ut animo gratificemur requiritur ac desideratur, quam ut exposcamus necessario naturae humanae conditione cogimur. Itaque tam procul absum, ut liberum me ac solutum censeam ab illo mortalium generi communi tributo, quod errando naturae solvisse certe ab humanitate non alienum est, ut ne rationem quidem prorsus mihi constitisse lubenter fatear. Nam quum ab initio mihi propositum esset parva tantummodo ac brevi annotatione critica librum Quinctiliani X. exornare, idque consilii captum esset adstipulante et expostulante librario, viro et propter adfinitatem caro mihi et accepto, et strenuitate ac diligentia popularibus comprobato, mox ipso opere procedente eo adductus sum, ut consilio paullulum mutato, ad lectionis varietatem *caussas praecipuas* et *rationes* adderem, quibus vel ponderatis et examinatis vel inter se, ubi essent diversi generis, compositis ac comparatis, exercitationis non modo exoptata sed quam necessaria adolescentulis fieret copia. Exercitationem dico ingeniorum et quasi velitationem iuvenilium, qualem fuisse legimus in scholis antiquorum rhetorum, qualem etiam nunc omisisse nunquam sibi condonabunt puerorum institutores, vel publice operam suam in iuventute edocenda collocantes, vel privata adolescentium ingenuorum studia moderantes. Quid enim illud est, didicisse fideliter artes, quod fere iactant homines liberaliore disciplina educati, nimirum quo distinguantur a rudibus et agrestibus, nisi animo ac sensu percepisse, quid pulcrum sit, quidve turpe; quid rectum aut pravum, tum in antiquitatis Graecae et Romanae monumentis, tum in tota vita nostra publica et privata? Quid illud est, quo antiquos homines excellere ac nobis recentioris aetatis molliori aura adflatis praestare ubique videbis, nisi virtutis amore,

propositorum tenacitate et constantia, animi fortitudine, imprimis iudicii vi et acumine, in artibus exercendis naturali quadam sollertia et dexteritate, quae fere coniuncta est cum mentis atque intelligentiae facilitate et perspicacia? Itaque non adeo magni aestumanda est memoriae vis et copia, quamquam ista animi facultas omnis doctrinae habenda est veluti thesaurus, nisi accedit expedita quaedam et promta ac parata veri perspicientia atque a falso distinguendi peritia: quae duae optimae artes qua alia via brevius faciliusque parentur atque ediscantur, quam veterum linguarum sedulo ac diligenti studio atque Graecorum et Romanorum scriptorum intenta lectione et severiore veluti animorum disciplina inde ducenda, equidem ego adhuc non reperi, neque aliam comminisci possum: quamquam quid in mentibus puerilibus ad certam aliquam veritatis legem alligandis atque a libidinibus et inanibus fervidioris imaginationis commentis coërcendis valeat mathesis, distincte ac luculenter tradita et prudenter usurpata, nemo facile est qui nunc diffiteatur. Verum enim vero illa ipsa ars critica, recte adhibita h. e. modice in auxilium vocata, quid aliud est, nisi egregium quoddam et honestum ad mentes iuvenum excitandas subsidium, alacritatis viriumque intentionis incitamentum, praesertim quum disputandi h. e. vel asserendi vel obloquendi uberem praebeat materiem. Iam vero summum quod petatur institutione nostra scholastica quum in eo positum esse credimus, ut homo semper et ubivis locorum sui non modo sibi sit conscius, sed etiam compos, quorum unum ad intelligentiam spectat, alterum ad mores referendum est: quis est rei paedagogicae, quam vulgo appellant, tam parum gnarus, quin nobiscum in eo consentiat, nihil magis praeceptoribus elaborandum esse, quam ut quae memoriae mandaverint discipuli, ea quoque intelligant: id quod esse non potest, nisi quando distinguendi verborum notiones ac definiendi facultas vel etiam facilitas parta est et veluti in procinctu. Huic itaque arti res inter se propius longius diversas dignoscendi annotatione

nostra opportunitatem dare voluimus exercendae; quo fit, ut suis quisque oculis cernat, suis auribus percipiat, suo quisque iudicio sententias ferat, neque in verba magistri iurasse satis habeat, neve aliorum vestigia veluti triste animal, quod natura pronum finxit, anxie insectetur: simul luculenta qua usi sumus vel oratione vel demonstratione viam monstrare tentavimus, quam incedere vel sequi possint, qui per longiorem argumentorum seriem auditores vel lectores ad certum aliquem finem deducturi essent: id quod in scholis maxime fieri solet singularibus scriptionibus vel commentationibus exhibendis. Etenim omnis loci impediti et implicati enucleatio caussae forensi haud inepte comparatur, de qua sub iudice lis est; non desunt actores, non deficiunt patroni et advocati; adstant testes; citantur leges et decreta priorum. At eiusmodi contentiones et controversiae dici non potest quantum iuveniles alliciant allectosque teneant animos: est enim illud nobis omnibus, dum aetate floremus, a natura insitum, ut armis ac telis, sive corporis sive animi, contendere velimus; oderunt iuvenes alacrioris ingenii otio se dedere ac quieti; aspera et ardua quaerunt, quibus superandis vires exerceant; amant conspici, dum maioris animi altiorisque spiritus aliquod edunt documentum: ut brevi dicam, mobilitas ista quam propriam esse scimus iuvenili aetati ac levitas severiore disciplina scholastica cohibeatur ac ne in pravas cupiditates et libidines pessumdetur, examinando, interrogando, disputando diligenter in ipsis scholis caveatur. Sed ne multus sim in strenua ac vetere illa disciplina commendanda, cui inservire dixi et opem haud exiguam ferre artem criticam apte et prudenter cum interpretatione antiquorum scriptorum coniunctam, unum addendum est et nonnullis fortasse excusandum, quod quum eiusdem generis adminiculum institutionis scholasticae exstet editio a cl. Frotschero parata et copiosa annotatione adornata, immensum librorum numerum nulla necessitate cogente adauxerim, libello hoc novo in publicum emisso. Ac vide-

bunt aequi opusculi mei iudices, meam rationem paullulum differre a reliquorum VV. DD. qui vel totius operis Quinctilianei vel libri decimi tum interpretationem tum castigationem ante curarunt. Secutus quidem sum cl. Spaldingium in ipsa oratione contexta constituenda ductorem, eoque suadente maximam partem talem reddidi, qualem eam Quinctilianum prima manu exhibuisse viro illi praestantissimo et sagacissimo persuasum erat. In paucis a tanto tamque praeclaro exemplo recedere ausus sum; sed id nonnisi necessitate quae videbatur urgente factum est, neque unquam caussis quibus eo adductus essem, non significatis vel expositis. Deinde sentient benevoli lectores, me antiquitatis eo quoque nomine amantem fuisse ac studiosum, quod magis placuit partes sequi Spaldingii et priorum, quam Frotschero adstipulari vel Sarpio, ingenio et sagacitate quantumvis insignibus nonnullorum locorum exploratoribus; siquidem consultius habebam antiqua servare, quam coniecturas amplecti, quae quo nitantur fundamento firmo ac stabili, vel pro mei ingenii modulo assequi non poteram, vel num reliquae orationi Quinctilianeae prorsus consentaneae sint et accommodatae dubitabam. Malebam tunc certa retinere h. e. usu longiore et consuetudine confirmata, quamquam non comprobata, quam quae aliena videbantur et nova, antiquis intrudere: huiusmodi disquisitiones ad annotationem ablegare satius habui. Animum meum ac mentem imprimis eo intendi, ut lectionis varietatem ex copiis tum a Spaldingio quondam coactis et instructis, tum cl. Zumptii studio nuper mirum quantum adauctis, quam diligentissime inquirerem, easque in usum iuventutis enotarem variorum librorum scripturas, quarum vel diiudicatio vel delectio amplam et idoneam ingenii acuendi, certe excitandi, si forte obdormivisset, suppeditare videbantur occasionem. Unum vereor, ne abundantiae, imo redundantiae crimini fiam obnoxius, ubi in singulos quosdam locos vel obscuriores vel librariorum mendis infectos prolixiore, ne dicam immoderatiore

oratione excurrendi animus fuit. Sed quum omnis veri inquisitio atque investigatio eiusmodi sit, quae uti uberiore expositione plerumque indiget, ita et adversariorum vel contradicentium aliquam habeat rationem, quemadmodum demonstratio interdum refutationem continet, fieri non potuit, quin annotatio quae esse debebat pressa et parca, in commentarii veluti speciem produceretur, quo distinctius vel locus vel sententia explanaretur atque clariore quasi luce illuminaretur. Studiis enim potissimum privatis discipulorum tum supplementum tum incitamentum hac mea qualicunque opera impensa adferre volui; utinam spes mea et exspectatio non prorsus ad irritum cadat. Excitatus quidem ex parte animus meus ac sustentatus est grata et iucunda virorum aliquot summe venerandorum tum publica tum privata cohortatione, qua ad versionem Germanicam eiusdem libri X. Institutionum nuper conficiendam non frustra me otium et operam applicavisse contestati sunt. Velim mihi contingat, ut etiam hocce opusculum viris humanissimis non prorsus improbetur, ut aliquam saltem et diligentiae et ingenui optimarum artium studii atque amoris habeat testificationem: qua quidem summorum virorum approbatione si quando digni visi sumus, id quod nobis aliquoties obtigisse valde laetamur, eum inde nos fructum percepisse grato animo confitemur, ut in dies magis magisque et iuventuti nostrae disciplinae traditae optimo quaeque docendo prodesse et ad interiorem literarum Graecarum et Romanarum cognitionem penetrare, indagando, meditando, commentando pro viribus eniteremur. Etenim uti magna voluptate nos in rebus secundis adficit nec parvum animo in adflictis solamen adfert, literarum et sensuum communione cum honestis ac probis hominibus iunctum esse, ita non facile ulla est ars bona vel virtus tam sibi constans, tam semetipsa contenta, ut non interim aliquo applausu corroboretur, honesta aliqua cohortatione ad altiora appetenda et assequenda inflammetur.

Pauca restant memoranda, quae silentio praetermittere propterea nefas puto, quod multis multa disceptandi inde sumta est copia. Primum vocabulorum nonnullorum de quibus ambigunt VV. DD. scripturam eam amplexus sum, quam prae ceteris usitatam et pervulgatam vel habui vel accepi: ideo nihil moratus sum in ipso scriptoris nostri nomine ita exserendo, quale ex plurimorum consensu antiquitus scriptum putatur, quamquam non desunt, qui repugnent. In quo non reticebo alias mihi quoque rationes suppetere, quam quae vulgo efferuntur, quibus defendi posse, certe excusari crediderim scripturam nominis, qualem cum Gesnero et Frotschero, ut reliquos omittam, typis exarari iussi. Etymon adferunt *quinque*, a quo repetendum sit *Quinctius* et similia nomina. Sint ista habeantque suos quaeque amatores, modo ne naturae usuique, qui illam sequitur ducem ac rectorem, adversentur. Nobis alia probabilior semper visa est ratio, ut *Quinctilianum* scriptum putaremus ad imitationem *soni*, qualis et ore reddebatur ac labris, qualisque auribus percipiebatur. Auctor autem est ac testis Priscianus, vetustos quosdam scriptores Latinos euphoniae caussa scripsisse *Agchises*, *agceps*, *aggulus* et similiter in aliis vocibus ante *g* vel *c* literam *n* semivocalem mutasse in *g*. Cfr. Priscian. edit. Krehl. p. 37. Atque idem ille grammaticae artis magister hanc aliasque eiusdem generis mutationes factas esse docet naturali quadam vocis ratione, propter celeriorem motum linguae labrorumque ad vicinos facilius transeuntium pulsus: de quo nemo dubitat. At videor observasse non minus bene convenire oris ac vocis humanae structurae atque naturae, si literam *n* duplici sono ab antiquis pronunciatam statuimus, modo *mutam* eam fuisse, modo *canoram*, ut hac appellatione liceat uti: quae posterior ratio ubi valuit, idem fere sonus edebatur, qualis etiamnunc est Francogallorum in similibus syllabis eloquendis. Quos quidem sonos quum linguam Graecam non prorsus aspernatam esse novimus, cur ab ore et oratione Latina abhorrentes

credamus? Alterum, de quo commonefaciendi sunt lectores, ad singulorum quibus compositae sunt enunciationes membrorum vel articulorum distinctionem pertinet, quam ut rarius adhiberemus tum summorum virorum hac de re praecepta, tum sermonis Latini natura et indoles suaserunt; neque tamen quem semel ingressi eramus tramitem tam stricte et tam aequabiliter persecuti sumus, quin ad commune iudicium popularemque intelligentiam, ubi necessitas efflagitare videbatur, nostram accommodaremus rationem et iuvenilem maxime oculorum aciem facile errantem ad verum cernendum signis quibusdam appositis intenderemus. Porro quid de *inscriptione* totius operis Quinctilianei, cuius partem nobis illustrandam delegimus, statuamus, dicendum fortasse videtur nonnullis, quibus offensionis aliquid habet numerus pluralis Institutionum Oratoriarum. Consulendum esse Bünemannum ad Lactant. p. 1. de re admodum ambigua sciscitantibus, monuit Frotscherus in edit. mai. p. 1., ipsum numerum pluralem a Cicerone usurpatum esse edocemur loco satis luculento, qui exstat de Nat. D. I, 4. Codicum in re tam incerta arbitrium paene nullum est, utpote qui inter utramque formam fluctuent, sic ut utram in partem lanx vel deprimatur vel elevetur, nescias. Verumtamen nuper aliquid nostrae rationi accedere videbatur momenti, discrimine si cui placet constituto inter inscriptionem, qualem ipse auctor libri in epistola ad Tryphonem exhibuit: *libros quos de institutione oratoria* scripseram, et quae haud dubie posteriori aetati debetur *pluralis* formam numeri. Quemadmodum enim Latine dicitur: libros conficere vel conscribere de *arte oratoria*, quam etiam legi inscriptionem operis Quinctilianei unum certe huius generis exemplar prodit in Catalogis MScriptorum a cl. Haenelio Prof. Lips. nuper editis p. 243. ita et de *institutione orat.* liber vel libri compositi optimo iure efferuntur. Sed alia mihi videtur subesse conditio notionum ac verborum, ubi casus Obiecti quem vocant nomini Subiecti ita additur, ut *totum aliquod*

*corpus compluribus partibus* contineri enuncietur, quarum *unaquaeque etiam per se spectata absoluta est et perfecta*, quoniam in singulis singulae tractantur res, sua cuique proposita est materia: etenim ubi tale quid incidit caussae vel conditionis, *pluralem numerum* ab optimis auctoribus usurpatum legi, quo significentur eiusdem generis vel propositi singulae partes, uno corpore conclusae. Habemus sententiae nostrae documenta maxime haec, quod Sallustii commemorantur *Historiarum* Libri VI; Plinii maioris *Bellorum* Germaniae XX; *Naturae Historiarum* XXXVII. cui non obstat illud quod *Velleji* operi impositum legitur nomen: *Historiae Romanae* Libri II. Nam qui huius inscriptionis auctor fuerit non tam constat, quam aliud Vellejo fuisse consilium propositumque a reliquis diversum apparet. Quare ita me mea opinio fert, ut opus Quinctilianeum inscribendum esse censeam aut *de Institutione Oratoria* Libri XII aut *Institutionum Oratt. Libri XII*, illo nomine ita explicato, ut intelligatur *ratio ac via instituendi;* hoc vero sumatur notione concreta de ipsis *praeceptis* ac *legibus*, quibus orator perfectus instruatur necesse est.

Sed haec hactenus. Unum quod superest, et quod in votis habeo, ut optimis adolescentibus hoc meo opusculo aliquid allatum sit honesti subsidii et excitamenti ad laetiores capiendos profectus et in literis Romanis progressus, id non tam in viribus humanis neque in voluntate aut studio, quantumvis acerrimo positum est: aliae caeque admodum mobiles et inconstantes hominum in nos benevolentiae ac favoris sunt conditiones: quae ut nobis et in posterum ferantur secundae et prosperae, summum illum ac firmissimum rerum humanarum precamur tutorem et gubernatorem. Etenim quidquid studiis nostris ad iuventutem edocendam, instituendam contulerimus, inde non nomen aut famam petiimus; optatius fuit ad recta tendentibus adolescentulis et quibus naturalis quidam virtutis amor ac literarum in medullis et visceribus defixus insideret, exemplum proposuisse; et qui natura

ita essent comparati excitatos habere vel admonitos, ut meliores esse quam nos velint. Scripsimus Gerae d. XXVIII. Iul. MDCCCXXX.

---

*Index librorum tum manuscriptorum tum editorum, quorum vel in annotatione mentio facta est, vel qui aliis nominibus notatu digniores habentur.*

Codex *Turicensis*, omnium facile princeps et dux quasi gregis, certe Spaldingio fuit. Undecimi saeculi esse putatur; expertus vero est manum secundam correctoris.

Cod. *Florentinus* in bibliotheca Laurentiana; auctoritate primo loco enumerato proximus: a manu secunda passim vel emendatus vel immutatus.

Codd. *Ambrosiani* I et II. quorum quidem priorem Zumptius omnium praestantissimum iudicat, qui et eximiae eius bonitatis exempla nonnulla uti nova et inopinata, ita gratissima et desideratissima protulit. Cfr. Prooem. p. XII. sqq.

Cod. *Bodlejanus* a *Gibsonio* editore Oxoniensi collatus.

Cod. *Almelovenii*, quo nomine denotatur codex quidam antiquus, ex quo Batavus ille doctissimus varias lectiones in marginem libri sui transscripserat.

Cod. *Argentoratensis*, quo cum aliis subsidiis usus est *Obrechtus*.

Codd. *Vossiani* III. a Burmanno in ea quam paravit editione adhibiti.

Cod. *Gothanus* I. quem Gesnerus imprimis non tam consultorem et suasorem habuit, quam ut in lucem prodiret, qui adhuc in occulto iecerat, opera sua effecit. Ipsum codicem Gesnerus describit externa pulchritudinis specie insignem; ceterum recentioris aetatis et inferioris ordinis aestumatur.

Cod. *Guelferbytanus*, de nobiliore gente liber, qui ex Spaldingii sententia Vossianis I et 3. et codici *Bernensi* s. *Bongarsiano* paene par habeatur dignus.

Codd. *Parisienses* Regii VI. primum a *Pottierio* in editione a. 1812. deinde a *Dussaultio* 1821. collati; quam parum diligenter id factum sit, nuper merito cum Frotschero conquestus est Zumpt. l. l. p. XX. sq.

Codd. *Palatini* II. a *Jano Gebhardo* quondam in auxilium vocati.

Sunt praeter hos alii, quorum quum in nostro libello singularis ratio habita non sit, recensum repetere a consilio alienum existimavimus: plura et pleniora si qui scire cupiant, eos Spaldingium et Gernhardum adiisse non poenitebit.

*Librorum editorum* hi potissimum laudantur:

1470. fol. *Romae*, editio princeps, cum praefatoria *Io. Anton. Campani* epistola. Libri rarissimi exemplar ex copiis Bibliothecae Gottingensis beneficio clarissimi Heynii Spaldingio oblatum tantum viro de Quinctiliano immortali cum laude merito voluptatis ac laetitiae, quantum adiumenti attulit.

1470. fol. *Romae* apud Conradum Sweynheym et Arnoldum Pannarz cum *Io. Andreae* Episc. Aleriensis epistola ad Paulum II. P. M. in qua editor *Campani* laboribus se usum esse affirmat. Eam consuluit *Gibsonus*.

1471. fol. *Venetiis*. In fine leguntur haec, quae tironum gratia, quo melius et saeculi mores et iudicium cognoscant, transscribere non piget: „Quintilianum *eloquentiae fontem* ab eruditissimo *Omnibono Leoniceno* emendatum *M. Nicolaus Ienson* Gallicus viventibus posterisque miro impressit artificio.“ Illum vero *Iensonium* Omnibonus in praefatione praedicat ac summis laudibus effert tanquam *alterum Daedalum*, qui librariae artis mirabilis inventor, non ut scribantur calamo libri, sed veluti gemma imprimantur ac prope sigillo, primus omnium ingeniose monstraverit. *Gesner.* et *Spalding.* hoc libro usi sunt.

1482. fol. *Tarvisii* per Dionysium Bononiensem ac Peregrinum eius socium. *Spald.*

1493. fol. *Venetiis* per Bonetum *Locatellum* cum annotationibus *Raphaelis Regii*. Contulerunt Burmann. et Spald.

1512. fol. *Venetiis* apud *Aldum* ex Andr. Naugerii et Bapt. Rhamnusii recognitione. Editor Bipontin. hunc librum coarguit nihil esse nisi editionem repetitam Iuntinam, quae ipsa prodiit *Florent.* 1510. 8.

1514. 4. *Venetiis* apud *Aldum*. Vulgo nomine fertur: edit. *Aldinae* II. Burm. Spald.

1516. fol. *Parisiis* apud *Iodoc. Badium Ascensium* cum annotationibus Raph. *Regii* et Georg. *Merulae* (hic demum a libro XII. c. 7. ubi desiit *Regius*, suas addidit observationes) et Iod. *Badii* Asc. qui ex *Laurentii Vallae* co-

dice sexcentos locos restituisse iactat. Vulgo: edit. *Ascensiana* I. Eam prae ceteris introspexit Spald.

1519. fol. Secunda *Iod. Badii Ascensii* editio; in multis recedens a prima a. 1516. Gesner. et Spald.

1521. fol. *Coloniae:* liber titulo comparuit, quem ob novitatem infra scriptum habes huncce: M. F. Quintiliani Institutt. Oratt. Libri XII. una cum *declamationibus* eiusdem *argutissimis* ad *horrendae vetustatis* exemplar impressis. Coloniae in aedibus *Eucharii Cervicorni* et *Heronis Fuchs.* Cum Praefat. Godefredi *Hittorpii* ad Melanchthonem. Codicem illum vetustissimum solas exhibuisse *Declamationes* in promtu est, quemadmodum omnino frequentiorem earum usum olim fuisse, quam *Institutionum* ex comparatione testium, quos hac de re consultare licuit, colligi posse putaverim. Spalding. in suis memoravit.

1521. (in titulo: 1522.) 4. *Venetiis* apud *Aldum.* Indicatur a Bipont. nomine: Edit. *Aldinae* III. Spald.

1527. 8. *Basileae* apud Adamum Petrum *Petri Mosellani* in Institutt. libros VII. priores. Usus est illo commentario Burm. Vulgo *Basil.* I.

1529. fol. *Basileae* cum *Ioann. Sichardi* praefatione et notis. Vulgo: edit. *Basil.* II. Eam usurpavit *Gibson.*

1531. fol. *Parisiis* apud Io. *Badium Ascensium* ex recognitione Guil. *Philandri* et Petri *Mosellani.* Vulg. *Ascensian.* V.

1534. 8. *Coloniae* apud Ioann. Gymnicum cum Longolii praefatione notisque *Sichardi* et in duos primos libros Ioach. *Camerarii.* Laudatur nomine: *Colon. IV.* Editt. duae priores mediae II. et III. sunt annorum: 1527. fol. et 1528. 8. apud Soterem.

1536. 8. *Lugduni* apud Sebastian. *Gryphium.* Ex eadem officina prodiit opus Quinctilianeum XII. inde ab anno 1531 ad 1591. Editione VII. anni 1544. usus est *Spalding.*

1538. fol. *Parisiis* apud *Michael. Vascosanum.* Ex eadem officina editio auctior a. 1542. forma maxima et 4. Repetita 1549. cum praefatione Petr. *Gallandii*, *Angeli Politiani*, notis *Mosellani*, *Camerarii*, *Pini.*

1556. 4. *Parisiis* apud Th. Richardum prodierunt: *Adr. Turnebi* notae in Institutt. Oratt. Opus habetur suppositicium.

1570. 8. *Lipsiae* impensis *Iac. Apelii.* Continet in librum X. annotatt. *Melanthonis* alior. edit. per M. Stephan. *Riccium.*

1591. 8. *Genèvae* apud *Iacob. Stoer.* Prima ex eadem officina editio prodiit 1580.

1641. 8. *Genevae* apud Petrum *Chouet* cum not. Dan. *Parei.* In libris fuit *Spaldingii.*

1665. 8. *Lugduni Batav.* ex officina Hackiana cum notis Variorum opera C. *Schrevelii*; paucae etiam reperiuntur coniecturae I. Fr. Gronovii. *Burm. Spald.*

1693. 4. *Oxonii* cum notis *Edmundi Gibson*, qui teste Spalding. *trium* Codd. et *octo* editionum veterum auxiliis adiutus aliquanto maiorem apud aequales nactus est diligentiae et subtilitatis existimationem, quam eum meruisse iudicat Spalding. ceteroquin modestissimus alienae virtutis censor.

1698. 4. *Argentorati* apud I. R. Dulssecher cura *Ulrici Obrechti*, viri uti iuris consultissimi ita rerum publicarum administrandarum et Literarum Romanarum et Graecarum peritissimi. Nat. 1646. mort. 1701. Ipse usus erat Codice Argentoratensi, cuius quae sit dignitas concludi potest, quae vero in ipsa Obrechti studia in textu recognoscendo vel corrigendo moderanda efficacia, distingui nequit: nam quominus opus suum animo conceptum prorsus absolveret, morte praepeditus est.

1715. 8. *Parisiis.* Institutionum oratoriarum Libri XII. ad usum scholarum accommodati etc. brevibus notis illustrati a *Carolo Rollin.* Apud Iacob. Stephanum. Verum opus ex more et instituto Patrum ex Societate Iesu habes *mutilatum.*

1720. 4. *Lugduni Batav. De institutione oratoria Libri XII.* Declamationes maiores etc. et minores etc. Cum notis doctorum virorum, curante *Petro Burmanno.* Voll. II. apud *Ioann. de Vivie.* Editio locupletissima praeter multa alia scitu dignissima continet notas *Theodori Ianseni ab Almeloveen*, quondam ab homine eruditissimo exemplari Quinctilianei operis adscriptas.

1725. fol. *Parisiis.* De *institutione oratoria* Libri XII. Totum textum recognovit etc. emendavit etc. Claudius *Capperonnerius.* Editio perquam copiosa et multam ac variam supellectilem praebens ad Quinctilianum illustrandum, interpretandum, maxime ab rhetorum artificiis passim explicatis, quorum Capperon. admodum gnarus fuit, commendanda, artem vero criticam nihil prorsus ad se pertinere existimasse videtur, quum vir ille doctus, quamquam Parisiis vitam degens, ne aura quidem populari qua se tam facile agitari patiuntur illius gentis homines, im-

pulsus fuerit, ut Codices Bibliothecae Regiae de rebus dubiis consuleret.

1738. 4. *Gottingae.* M. Fabii Quinctiliani de institutione orator. Libri XII. collatione codicis *Gothani* et *Iensoniùnae* editionis etc. illustrati a *Io. Matthia Gesnero.* Apud Abram Vandenhoeck.

1784. 8. *Biponti.* Voll. IV. *Marci Fabii Quinctiliani Opera omnia.* Maximam partem exarata ad exemplar editionis Gesner.

1798 — 1816. 8. *Lipsiae* sumtibus Siegfr. Leber. Crusii, post Vogelii: M. *Fabii Quintiliani* de institutione orat. Libri XII. ad Codicum veterum fidem recensuit et annotatione explanavit Georg. Ludov. Spalding, Gymnasii Berolino-Colon. Professor. Volumen IV. post mortem Spaldingii omnibus bonis lamentabilem (obiit a. 1811. anno aetat. 49.) curavit *Philipp. Buttmannus.* Nuper finem operi a cl. Spaldingio ante hos paene XXX annos suscepto imposuit *Carol. Timoth. Zumpt* Volumine V. addito, quo *Supplementa annotationis* multo labore collecta et in ordinem digesta continentur.

1816 — 21. *Lipsiae.* Voll. II. 8. Editio ad scholarum usum accommodata curante *Godofred. Aug. Bened. Wolffio* Professore Portensi. Apud Frid. Christ. Guil. Vogelium. Gratum et utile donum iuventuti illa editione oblatum censeas.

1821 — 24. *Parisiis.* Voll. VI. 8. Edidit opus Quinctilianeum *Io. Ios. Dussault* cum integris commentariis Georg. Ludov. Spaldingii, quibus novas lectiones et notas adiecit. Est haec editio ex collectione Scriptorum classicorum, quam inchoarunt viri docti Francogalli *Achaintre* et *Lemaire* et quam cum compluribus aliis continuare decreverunt.

1830. *Lipsiae.* Voll. II. apud *Teubnerum.* M. *Fabii Quintiliani* de institut. orat. Libri XII. Notas maximam partem criticas adiecit *Aug. Gotth. Gernhard.* Editio et elegantissima et a modico pretio facillime omnium paranda: scilicet si quae tibi offerantur artis criticae subsidia ex vero aestimaveris. Alias enim et minore pretio prostant editt. *Lünemanni* Hannoverae 1826. et *Tauchnitzii.* Mansit autem clarissimus *Gernhardus* ut ita dicam in fide *Spaldingiana*, h. e. nonnisi in paucis, maxime id factum esse expertus testor in Libro X, aliorum partes secutus est: praeterea observationum et curarum posteriorum satis amplum addidit auctarium et annotationis textui subiectae elenchum.

1826. *Lipsiae* apud Hartmann. M. *Fabi Quinctiliani Institutionum orator. Liber X.* Ex recensione et cum commentariis *Carol. Henr. Frotscheri.*

Adde his: *Gustavi Sarpii* (Professor. Rostochiens.) *Analectorum* ad Georg. Lud. Spaldingii Quintilianum specimen. Hal. Sax. apud Kümmel. 1815. 8.

*Eiusdem Epistola* ad nuperrimum Quintiliani editorem (Phil. Buttmannum) Suerini ac Rostochii apud Stillerum. 1816. 4.

*Eiusdem Quaestiones philologicae.* Rostoch. 1819. 4.

*Guilielmi Aug. Gensleri Analectorum* ad editionem Quintiliani Spaldingianam specimen observationes ad Libr. X. continens. Coburgi 1822. 8.

Postremo loco non praetermittendae sunt complures commentationes, altioris sane doctrinae et interioris scriptoris nostri cognitionis eximia quaedam specimina, quae continentur *Ephemeridibus literarr. Ienens.* censurae nomine confectae, imprimis operis Spalding. 1821. Supplement. No. 77. sq. *Wolffiani* a. 1825. No. 72. 75. *Frotscheriani* a. 1827. No. 154. 55. *Genslerianorum* Analect. a. 1827. Supplem. No. 60. 61. — Ceterum *decimum* librum et antea complures et nuper brevi annotatione critica instruxerunt *Henke* Helmstadiens. quondam Theolog. celeberrimus. Editio primum in publicum emissa 1778. repetita 1829. et *Eichhoffius* Professor. Weilburgens. cuius liber prodiit *Giessae* apud Heyer. 1830. Reliquam notitiam literariam supplebunt, quorum talia scire interest, tum ex editione *Bipontina*, tum ex singulari Dissertatione cuius auctor exstitit *Mattaire:* de antiquis Quintiliani editionibus ad Io. Clericum. Londin. 1719.

## CORRIGENDA IN ANNOTATIONE.

Prooem. p. XIV. vers. 11. infra pro: *optimo* leg. *optima.*

Pag. 7. §. 15. vers. 2. pro: *praest.* leg. *potentiora.*

— 11. §. 29. vers. 2. pro: *confugient — cogantur* leg. *confugiat — cogatur.*

— 14. in margine excidit signum §. 43.

— 21. §. 50. vers. 2. pro: *addicuntur nomini* leg. *nom. addicuntur.*

— 26. §. 88. vers. 3. pro: *horis* leg. *herois.*

— 28. §. 95. vers. 2. deleatur *quod* ante *Obr.*

— 36. §. 121. vers. 5. pro: *Ad* leg. *At.*

— 38. §. 127. vers. 10. pro: *aliquids, cil.* leg. scil.

— 44. §. 11. vers. 10. pro: facta leg. *facta.*

— 95. §. 6. vers. 8. infr. pro: *docet* leg. *docent.*

Reliqua si quae admissa sunt peccata, leviora speramus, facile excusabit et emendabit benevolus lector.

M. FABI QVINCTILIANI

# INSTITVTIONVM ORATORIARVM

## LIBER DECIMVS.

# CAPVT I.

## DE COPIA VERBORVM AVDIENDO LEGENDOQVE PARANDA.

*I. Superioribus libris data de eloquutione praecepta non satis ait ad vim dicendi valere, nisi illis firma quaedam facilitas accesserit: sed hanc dicendi facilitatem parari scribendo, legendo, dicendo. II. Ante omnia parandam esse copiam verborum, sed cum iudicio; quod fiat optima legendo et audiendo. Quae sint et auditionis et lectionis commoda. Lectio qualis esse debeat. Modeste et circumspecte iudicandum esse de summis viris. III. Quantum et quatenus conferat oratori usus poetarum, historicorum, philosophorum. IV. Qui sint legendi, postquam in universum dictum et iudicium de veterum ac novorum lectione additum est, per genera eminentissimi poetae, historici, oratores, philosophi A) Graecorum et B) Romanorum suis quisque virtutibus recensentur.*

I. Sed haec eloquendi praecepta sicut cogitationi sunt 1
necessaria, ita non satis ad vim dicendi valent, nisi illis firma quaedam facilitas, quae apud Graecos ἕξις nominatur, accesserit: ad quam *scribendo* plus an *legendo* an *dicendo* conferatur, solere quaeri scio. Quod esset diligentius nobis examinandum, (contra) si qualibet ea-

§. 1. *cogitationi*. Ita Spald. ex Tur. Flor. Guelf. acc. editt. Iens. Tarv. al. Reliquis praestare visum est: *cognitioni*. Ita Obr. Gesn. et praeter Frotsch. complures viri critici, quibus adsentitur Zumpt. Nos cur secus statuamus, alio loco explicabimus. — *conferatur*. Ita Spald. ex vestigiis opt. Codd. Vulgo: *quam — consequamur*. Frotsch. ex coniect. *ad quam — consecuntur*. Sed cfr. adnotat. nostram ad vers. germ. 1. Quodsi praeterea coniecturae locus est, nihil tam placet, quam *conficiamus*, quum Paris. l. 2. a pr. man. exhibeant: *conficiuntur*. — *Contra si qualibet etc.* In plerisque: *cura si qual. earum rer.* Obr. Gesn. antecedente interpunctione; quam Spald. delevit, ita ut daret: *diligenti cura*. At in Tur. Flor. legitur: *citra si:* id quod nobis ansam dedit coniiciendi: *contra* sub illo *citra* latere. Saepe enim inter se permixtas particulas *contra, circa, citra* te docebit Drakenborch. ad Liv. 37, 15, 3. 7. 21, 48, 6.

2 rum rerum possemus una esse contenti. Verum ita sunt inter se connexa et indiscreta omnia, ut, si quid ex his defuerit, frustra sit in ceteris laboratum. Nam neque solida atque robusta fuerit unquam eloquentia, nisi multo stilo vires acceperit: et citra lectionis exemplum labor ille, carens rectore, fluit. Qui autem scierit *quae quoque sint modo* dicenda, nisi tamen in procinctu paratamque ad omnes casus habuerit eloquentiam,
3 velut clausis thesauris incubabit. Non autem ut quidquid praecipue necessarium est, sic ad efficiendum oratorem maximi protinus erit momenti. Nam certe, quum sit in eloquendo positum oratoris officium, *dicere* ante omnia est: atque hinc initium eius artis fuisse manifestum est; proximam deinde *imitationem*, novissimam *scribendi* quoque *diligentiam*. Sed ut perveniri ad summa nisi ex principiis non potest, ita procedente iam opere mini-
4 ma incipiunt esse, quae prima sunt. Verum nos non, quomodo instituendus orator, hoc loco dicimus: nam id quidem aut satis aut certe uti potuimus dictum est: sed ut athleta, qui omnes iam perdidicerit a praeceptore numeros mirum quo genere exercitationis ad certamina praeparandus sit: ita eum, qui res invenire et disponere sciet, verba quoque et eligendi et collocandi rationem percepe-

§. 2. *sunt.* al. *sint.* Sic Fr. ex Tur. Flor. — *scierit.* Haec vulgar. lect. Sed Fr. *scivit* ex Tur. Flor. — *quae quoque — modo.* Ita Tur. et Flor. ipsam dictionem illustravit Kritz. ad Sall. Cat. 23, 4. In reliq. exaratum est vel: *quo quaeque s. m.* Spald. vel: *quo s. quaeque modo.* Obr. Gesn. vel: *quo quaeque modo* s. lens. — *tamen.* Spald. ex Codd. Reliq. *tamquam.* — *clausis thes.* Fr. ex Flor. dedit: *clausos thesauros*

§. 3. *quidquid.* Sic opt. codd. et Camp. acc. Frotsch. Vulgo: *quidque.* Nostrum melius convenit illi, quod sequitur *protinus.* — *perveniri.* al. *pervenire.* Fr. Signa parathesis inde ab *atque* ad *diligentiam* omisimus.

§. 4. *sed ut athleta etc.* Locum ex nostra ratione constituimus; quo id factum sit successu, penes alios iudicium esto. Spald. haec dat: *sed athleta, qui omnes i. p. a praec. numeros, quo — sit. Igitur eum* etc. Eum secutus est Frotsch. Reliqui: *sed ut athletam — omnia — praeceptore, nimirum quo gen. ex. ad cert. praep. sit; ita eum etc.* Sic Obr. Gesn. — *qua id ratione.* al. *qua in oratione*; idque retinuit Frotsch. nisi quod praetulit: *quo.* — *quod didicit.* al. *quae.* Obr Gesn. cum plerisque. Pro *didicit,* al. *didicerit.* Fr. Zumpt. approb.

rit, instruamus, qua (id) ratione quod didicit facere quam optime, quam facillime possit.

II. Num ergo dubium est, quin ei velut opes sint 5
quaedam parandae, quibus uti ubique quumque desideratum erit, possit? Eae constant *copia rerum ac verborum*. Sed res propriae sunt cuiusque causae aut paucis 6
communes: verba in universas paranda. Quae si in rebus singulis essent singula, minorem curam postularent: nam cuncta sese cum ipsis protinus rebus offerrent. Sed quum sint aliis alia aut magis propria aut magis ornata aut plus efficientia aut melius sonantia, debent esse non solum nota omnia, sed in promtu atque ut ita dicam, in conspectu, ut quum se iudicio dicentis ostenderint, facilis ex his optimorum sit electio. Et quae idem significa- 7
rent solitos scio ediscere, quo facilius et occurreret unum ex pluribus, et quum essent usi aliquo, si brevi infra semet ipsum rursus desideraretur, effugiendae repetitionis gratia sumerent aliud, quo idem intelligi posset. Quod quum est puerile et cuiusdam infelicis operae, tum etiam

§. 5. *quibus uti* etc. Vulgaris lectio erat: *uti ubicunque des.* Obr. Gesn. Spalding. Sed nostrum in Turic. nisi quod deest: *uti*. Locus valde implicatus, tum ob scripturae varietatem, tum ex opinionibus criticorum. Spald. dat: *eae constant*, acc. Gesn. Obr. Sed Frotsch. *quibus possit e constantia esse.* At nos aliud remedium qualecunque quaesitantes, haud absonum putabamus locum ita emendare: *positae in constanti copia etc.* In Tur. enim et Flor. *posite constantia.* Vel quum in nonn. codd. legatur: *possit est constantia;* cur non liceat suspicari: *At constant in cop.* Tertio commemoramus lectionem Ienson. et prior. multarum editt. *quibus — possit ei constare.* Quod prob. Burmann. sed ita, ut deleretur *uti* et adiiceretur *e* ante *quibus.* Nos interim secuti sumus Spald. quanquam illud *eae* languere videatur, et *facillima* ac simplicissima ratio semper optima habenda sit. Ea vero reperiase credimus, si omissis: *eae constant*, simpliciter legimus: *copia rerum etc.*

§. 6. *in rebus.* Ita Spalding. ex opt. Codd. Reliqui om. *in.*

§. 7. *Et quae idem.* Vulgaris lectio, sed quae destituta est auctoritate codd. ita habet: *equidem scio quosdam collecta quae idem sign. vocabula sol. edisc.* Ita Obr. Gesn. Ut sit suppositicia, tamen Quinctiliano non indignam habemus. — *brevi infra semet ips.* Sic Frotsch. ex opt. Codd. quibus adsentiunt Par. 1. 2. Vulgo: *breve intra spatium:* quod retinuit Sp. — *quo idem.* Est recepta lectio, quamquam obnitentibus codd. Tur. Flor. Guelf. in quibus: *quod.*

utile parum: turbam enim modo congregat, ex qua sine discrimine occupet proximum quodque.

8 Nobis autem *copia cum iudicio* paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus. Id autem consequemur *optima legendo atque audiendo*. Non enim solum nomina ipsa rerum cognoscemus hac 9 cura, sed quod quoque locis sit aptissimum. Omnibus enim fere verbis praeter pauca, quae sunt parum verecunda, in oratione locus est. Nam scriptores quidem iamborum veterisque comoediae etiam in illis saepe laudantur: sed nobis nostrum opus interim videre sat est. Omnia verba, exceptis de quibus dixi, sunt alicubi optima: nam et humilibus interim et vulgaribus opus, et quae nitidiore in parte videntur sordida, ubi res poscit, 10 proprie dicuntur. Haec ut sciamus atque eorum non significationem modo, sed formas etiam mensurasque norimus et ubicunqde erunt posita, an conveniant, nisi multa lectione atque auditione assequi nullo modo possumus, quum omnem sermonem auribus primum accipiamus: propter quod infantes a mutis nutricibus iussu regum in solitudine educati, etiamsi verba quaedam emi- 11 sisse traduntur, tamen loquendi facultate caruerunt. Sunt autem alia huius naturae, ut idem pluribus vocibus de-

§. 8. *volubilitatem*. Ita ex Flor, Goth. Contra Guelf. et edit. Camp. acc. Iens. et al. *voluptatem*. Defendi potest; nam II, 4, 15. est *circulatoria iactatio*. — *consequemur*. al. *consequimur*. — *non enim solum*. Ita codd. opt. et Sp. Vulgo: *non sol. en.* — *sed quod quoque locis sit apt.* Dedimus haec ex indiciis optimor. Codd. Tur. Flor. in quibus est: *quod quoque locis ita petissimum*. Alii aliter. Apud Spald. *cui quodque loco s. a.* Alii: *quod quoque loco s.* Frotsch. In Paris. 1, 2. *quid quoque*.

§. 9. *nostrum op. interim videre sat est*. Hanc lectionem in publicum proferre eo minus dubitavimus, quo luculentioribus Codd. indiciis subnititur. Est enim in Tur. a pr. m. *inter inveteris at*. Nec procul ab eo recedit Flor. At quid sit tali conditione *videre*, pluribus te docebunt exempla a Drakenb. ad Liv. II, 12, 13. laudata. Vulgo et apud Spald. est: *interim tueri*. Frotsch. mavult: *intueri* — *sat est*, al. *satis*. Gesn. et priorr. — *nitidiore*. Ita Sp. ex editt. vetust. et Codd. indiciis. Reliqui vel *cultiore*, Obr. Gesn. vel *utiliore*. Iens. et plurr.

§. 10. *atque auditione* al. *aut*. Camp. Obr. — *caruerunt*. Tur. Flor. dant: *caruerint*. Probamus.

clarent, ita ut nihil significationis, quo potius utaris, intersit; ut *ensis* et *gladius*: alia, quae etiamsi propria rerum aliquarum sint nomina, τροπικῶς tamen ad eundem intellectum feruntur, ut *ferrum* et *mucro*. Nam 12
per abusionem *sicarios* etiam omnes vocamus, qui caedem telo quocunque commiserint. Alia circuitu verborum plurium ostendimus: quale est *Et pressi copia lactis*. Plurima vero mutatione figuramus: *Scio*, *Non ignoro* et *Non me fugit* et *Non me praeterit* et *Quis nescit?* et *Nemini dubium est*. Sed etiam ex proximo mutuari li- 13
bet. Nam et *intelligo* et *sentio* et *video* saepe idem valent quod *scio*. Quorum nobis ubertatem ac divitias dabit lectio, ut iis non solum quomodo occurrent, sed etiam quomodo oportet, utamur. Non semper enim 14
haec inter se idem faciunt: nec sicut de intellectu animi recte dixerim *video*, ita de visu oculorum *intelligo*: nec ut *mucro* gladium, sic *mucronem* gladius ostendit. Sed 15
ut copia verborum sic paratur, ita non verborum tantum gratia legendum vel audiendum est. Nam omnium, quaecunque docemus, hoc sunt exempla potentiora etiam ipsis quae traduntur artibus, quum eo qui discit perductus est, ut intelligere ea sine demonstrante et sequi iam suis viribus possit, quia quae doctor praecepit, orator ostendit.

Alia vero audientes, alia legentes magis adiuvant. 16

§. 11. τροπικῶς. Apud Sp. Fr. et priorr. additur: *quasi*. In al. legitur: *quare* post *tamen*. Omisimus illud *quasi* cum Obr. et Gesn. quod ortum putamus ex glossa; et quod in nonn. est *quare*, ex pronom. *quae* effictum credas.

§. 12. *quis nesc.* In Codd. Tur. Flor. al. *qui*.

§. 13. *libet*. Ita Frotsch. ex opt. codd. adversante Spald. qui vulgarem lect. dat: *licet*. Sed cfr. Drakenb. ad Liv. 25, 38, 4. Haud infrequens illarum vocum permutatio. — *ut non sol. quomodo occurrent*. Sic Tur. Flor. Sp. Reliqui: *occurrerint*. Iid. plerumque inserunt *his* ante *non*. In multis editt. est: *oporteat*. Certe ponendum erat: *ita*.

§. 14. *visu*. Sp. ex Tur. Flor. acc. Obr. Gesn.

§. 15. *sed ut copia v. sic paratur*. In Codd. et vott. editt. *copiosus sit — paratus? — hae sunt praest*. In mult. Codd. et editt. *haec*, et mox pro *praecepit*, alii dant *praecipit*. Obr. Gesn.

§. 16. *alia — audientes etc.* Sp. ex Tur. et melior. Codd. Al. mutato ordine: *legentes — audientes. — vivunt enim omn.* al. *viv. omn. enim*. Sp.

Excitat qui dicit spiritu ipso, nec imagine et ambitu rerum, sed rebus incendit. Vivunt enim omnia et moventur, excipimusque nova illa, velut nascentia, cum favore ac solicitudine. Nec fortuna modo iudicii, sed etiam
17 ipsorum qui orant periculo afficimur. Praeter haec vox et actio decora, commoda, et ut quisque postulabit, pronunciandi (vel potentissima in dicendo) ratio et, ut semel dicam, pariter omnia docent. In lectione certius iudicium, quod audienti frequenter aut suus cuique favor aut
18 ille laudantium clamor extorquet. Pudet enim dissentire et velut tacita quadam verecundia inhibemur plus nobis credere, quum interim et vitiosa pluribus placeant et a
19 corrogatis laudentur etiam quae non placent. Sed e contrario quoque accidit, ut optime dictis gratiam prava iudicia non referant. Lectio libera est nec actionis impetu transcurrit: sed repetere saepius licet, sive dubites sive memoriae affigere velis. Repetamus autem et tractemus, et ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur, ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita et velut confecta memoriae imitationique tradatur.

20 Ac diu non nisi optimus quisque et qui credentem sibi minime fallat, legendus est, sed diligenter ac paene ad scribendi solicitudinem: nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber utique ex integro resumendus, praecipue oratio, cuius virtutes frequenter ex
21 industria quoque occultantur. Saepe enim praeparat,

§. 17. *commoda, ut quisque locus postulabit.* Ita vulgo. Sed in Tur. Flor. acc. Rodl. Riv. est: *postulavit*: ex quo non absonum videtur agnoscere *postulaverit.* Reliqua omnia ex auctoritate Spald. Nam alii aliter. Obr. *adcommodata ad quid quisque.* lens. *commodat ut quid q.* Camp. *commendat ut q. q.* Equidem suspicor veram scripturam fuisse: *et ut q. Commoda* enim alia est quam *accommodata,* scilicet est *facilis* ideoque naturae conveniens, cui opp. *adfectata.*

§. 18. *placeant — laudentur.* In Codd. et editt. antiq. est: *placent — laudantur.* Quod probat Zumpt. At subest notio *concedentis:* inde Coniunctiv. bene habet.

§. 19. *demittimus* al. *dimitt. — iteratione.* al. *alteratione.* Codd.

§. 20. *ad scribendi sol.* al. *scribentis* ex coniect. Lochmanni et Melanthon in interpret. — *praecipue.* al. *praecipueque.*

dissimulat, insidiatur orator atque in prima parte actionis dicit, quae sunt in summa profutura. Itaque suo loco minus placent, adhuc nobis quare dicta sint ignorantibus: ideoque erunt cognitis omnibus repetenda. Illud 22
vero utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumserimus, et quoties continget, utrinque habitas legere actiones: ut Demosthenis atque Aeschinis inter se contrarias: et Servi Sulpici atque Messalae, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter: et Pollionis et Cassi reo Asprenate, aliasque plurimas. Quin etiam, 23
si minus pares videbuntur, aliquae tamen ad cognoscendam litium quaestionem recte requirentur: ut contra Ciceronis orationes Tuberonis in Ligarium et Hortensi pro Verre. Quis etiam easdem causas usque egerit, usui erit scire. Nam de domo Ciceronis dixit Calidius: et pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, etiamsi egisse eum Cornelius Celsus falso existimat. Et Pollio et Messala defenderunt eosdem et nobis pueris 24
insignes tres pro Voluseno Catulo, Domiti Afri, Crispi Passieni, Decimi Laeli, orationes ferebantur. Neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quae summi au-

§. 21. *dissimulat, insidiatur.* Gesn. Sp. al. *dissimulat interim insidias.* Obr. *dissimulat vim insidians.* Burm. ex coni. atque edítt. vett. *dissimulat insidias.* Nobis duplex quum pateat via, praeeuntibus Codd. praestabilius videtur aut *dissimulatim*, aut *dissimulatve insidias.* — *atque.* Revocavimus ex codd. et editt. al. *eaque.* Sp. — *sint.* al. *sunt.*

§. 22. *Servi Sulpici — Cassi.* al. *Servii Sulpicii Cassii.* Nostram scripturam, quam repudiavit Spald. cum Obr. Gesn., constanter servant Codd. Turic. Flor. — *reo Asprenate.* al. *reos aspernatus est.* Sic Tur. Flor. et Camp. Contra Goth. et editt. ante Basil. *reus aspernatus est.*

§. 23. *quis etiam etc.* al. *quin etiam easdem causas ut quisque egerit.* Sp. *quin etiam easd. caus. utrisque erit scire.* Fr. Coniecturam quam textui inserere ausi sumus, ex parte tuentur opt. Codd. qui dant *quis* pro *quin.* Et quum in iisdem sit: *utrisque erit*, non dubitavimus substituere *usque egerit*, et pro *utile*, quod incertae est originis, supponere libuit: *usui*, quum ita facilius copia facta videretur uni alterive literae praetermittendae.

§. 24. *summi auctores.* Vulgo: *magni.* Sic Sp. *optimi* Fr. *omni* Cod. Tur. Inde nostrum ex coniectura et quod paullo post repetitum legitur: *summi enim sunt.* — *dixerint.* In mult. editt. *dixerunt.*

ctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando et oneri cedunt et indulgent ingeniorum suorum voluptati: nec semper intendunt animum; nonnunquam fatigantur: quum Ciceroni dormitare interim Demosthenes,
25 Horatio vero etiam Homerus ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen: acciditque his, qui quidquid apud illos reperitur dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, (id enim est facilius) ac se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur.

26 Modesto tamen et circumspecto iudicio de tantis viris pronunciandum est, ne, quod plerisque accidit, damnent quae non intelligunt. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere quam multa displicere maluerim.

27 III. Plurimum dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poetarum, multique eius iudicium sequuntur: neque immerito. Namque ab his in rebus spiritus, et in verbis sublimitas, et in affectibus motus omnis, et in personis decor petitur, praecipueque velut attrita quotidiano actu forensi ingenia optime rerum talium blanditia reparantur. Ideoque in hac lectione Cicero requie-
28 scendum putat. Meminerimus tamen, non per omnia poetas esse oratori sequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum; totumque illud (studiorum) genus ostentationi comparatum, et praeter id quod solam petit voluptatem, quam etiam fingendo non falsa modo sed quaedam incredibilia sectatur, patrocinio quoque aliquo

§. 25. *reperitur*. al. vel *reperietur*. Sp. vel *repererunt*. Nostrum ex Guelf. Camp. Obr. al. Nescio an verum sit: *reperiatur*. In Tur. a pr. m. est: *reperiertur*.

§. 26. *modesto*. Sic Frotsch. ex edit. Colon. adnuent. codd. Tur. Flor. in quibus *modesta*. Vulgata lect. *modeste*, quam, si quid recte sentimus, sustinent ex parte verba: *iudicium maxime ac modus deest*. XII, 10, 16. — *Ac si*. Guelf. et Goth. *at si*.

§. 28. *totum illud studiorum*. Omisit haec Sp. praeeuntibus opt. Codd. et editt. ante Basil. — *quam etiam*. Sp. *et eam*. al. *eamque* (omisso *etiam*). Nostram lectionem tuetur ex parte Cod. Flor. — *sed quaed*. al. *sed etiam quaed*. expungere libuit *etiam* rationibus satis luculentis.

iuvari (artis): quod alligata ad certam pedum necessita- 29
tem non semper uti propriis possit, sed depulsa recta via necessario ad eloquendi quaédam deverticula confugiat; nec mutare quaedam modo verba, sed extendere, corripere, convertere, dividere cogatur: nos vero armatos stare in acie et summis de rebus decernere et ad victoriam niti. Neque ego arma squalere situ ac rubigine ve- 30
lim, sed fulgorem inesse, qui terreat: qualis est ferri, quo mens simul visusque perstringitur; non qualis auri argentique, imbellis et potius habenti periculosus.

Historia quoque alere orationem quodam uberi iu- 31
cundoque suco potest. Verum et ipsa sic est legenda, ut sciamus, plerasque eius virtutes oratori esse vitandas. Est enim proxima poetis et quodammodo carmen solutum, et scribitur ad narrandum, non ad probandum: totumque opus non ad actum rei pugnamque praesentem, sed ad memoriam posteritatis et ingenii famam componitur, ideoque et verbis remotioribus et liberioribus figuris narrandi taedium evitat. Itaque, ut dixi, neque illa *Sal-* 32

§. 29. *alligata — depulsa etc.* al. *alligati — depulsi* (*repulsi*) *confugient — cogantur.* Spaldingio in mentem incurrebat: *gentem comparatam.* At nobis ad verum propius accedere videbatur, cui placeret ex verbo *iuvari* vocabulum aliquod eruere, quod exciderit, huic loco conveniens. Periculum fecimus: utinam ratio nostra aliis quoque comprobetur, sagacioribus rei arbitris. Quod dedimus: *quam etiam* pro *eamque* vel *et eam*, ea caussa est, quod in Flor. legitur: *eamque etiam.* Atqui particula *que* persaepe confusa est cum *quam.* Drakenb. ad Liv. V, 22, 3. — *niti.* al. addunt: *decet.*

§. 30. *rubigine.* al. *robig.* Fr. ad exempl. cod. Tur. — *fulgorem inesse* al. *fulgore munisse; fulgore munita esse qui etc.* al. *hi* inserunt ante *inesse.* Verum quidni legamus: *fulgorem in iis esse qui etc.* quum Turic. exhibeat haecce: *fulgore nimis seque*, consentientibus Flor. Goth. Voss. 2. — *perstringitur.* al. *praestr.* Sp. al. *perstringatur.* Utcunque res habet, idemtidem tractata et retractata de discrimine vocabulorum, nostro loco *perstr.* magis convenire cum prioribus censeo. Nam *mens* est, ad quam potissimum h. l. referri debeat *perstr.* at ea non tam *praestringitur*, id quod *oculis* accidit, sed *perstringitur.* Cfr. Tacit. Hist. I, 85. Ann. I, 13. et Drakenb. ad Sil. Ital. I, 358.

§. 31. *uberi* ex coniect. Sp. vulgo: *molli.* — *suco.* al. *succo.* Cf. Schneider Element. l. lat. p. 402. — *ad actum rei.* al. *ad intuitum rei.* Obr. et multae priorum editt.

*Iustiana brevitas*, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus iudicem et saepius ineruditum captanda nobis est: neque illa *Livi lactea ubertas* satis decebit eum, qui
33 non speciem expositionis, sed fidem quaerit. Addo quod M. Tullius nec Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles oratori putat, quamquam illum *bellicum canere*, huius *ore Musas esse locutas* existimet. Licet tamen nobis in digressionibus uti vel historico nonnunquam nitore, dum in his, de quibus erit quaestio, meminerimus non athletarum toros, sed militum lacertos esse: nec versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem bene ad forensem pulverem facere.
34 Est et alius ex historiis usus et is quidem maximus, sed non ad praesentem pertinens locum, ex cognitione rerum exemplorumque, quibus in primis instructus esse debet orator, ne omnia testimonia expetat a litigatore, sed pleraque ex vetustate diligenter sibi cognita sumat, hoc potentiora, quod ea sola criminibus odii et gratiae vacant.

§. 32. *qua nihil.* al. *quia.* — *potest esse perfectius*, al. *potius esse perfectius.* Cod. Flor. cum Turic. nisi quod *potus.* Unde Spald. coniiciebat: *potius et perfectius.* At nobis haud ineptum videbatur: *potius est et perfectius.* — *decebit.* al. *docebit.* — *expositionis.* al. *composit.*

§. 33. *Adde quod etc.* al. *audeo quia.* Fr. ex Codd. Turic. Flor. quod mutarunt in *audio* sec. m. *addo quod;* Camp. *quod dicere fortius audeo, quia.* Basil. nulla codd. auctoritate. Ignoscant peritiores nobis coniicientibus: *Vide quam.* Cfr. Drakenb. ad Liv. VIII, 5, 7. et II, 54, 9. Illud *audio quod* non magis ferri potest quam in quo recte nuper offendit V. S. Eichstadius, *legimus.* Tacit. Agric. c. 2. in. — *nec.* al. *ne.* Sp. Rationem nostrae lectionis, quam Frotscher. pluribus defendit, quaeras in sequenti *aut.* — *bellicum canere.* al. *illius bellicum canorem.* — *digressionibus.* al. *degress.* Fr. 2. *in his.* al. *iis.* — *toros* — *lacertos.* Vulgaris lectio, in qua omnes fere codd. conspirant, praeter Florent. qui dat: *toris* — *lacertis.* Cuius exemplo commotus Spalding. de coniectura addidit: *opus.* Sed si quid supplere velis, inseras potius *locum.* Cfr. tamen Walch. ad Agric. p. 351.

§. 34. *expetat* al. *expectet.* Sp. *expectat* praecedente *nec* in Codd. Flor. Tur. et al. pro *ne.* Quod Spald. ad h. l. contendit, dici potuisse *petat*, sed non item *expetat*, in eo falsus esse videtur, quum quae singularis verbo composito insit vis appareat. Vide de frequenti verborum istorum confusione Drakenb. ad Liv. X, 7, 12. — *gratiae.* al. *gratia.*

A philosophorum vero lectione ut essent multa no- 35
bis petenda, vitio factum est alias oratorum, qui quidem illis optima sui operis parte cesserunt. Nam et de iustis, honestis, utilibus, quaeque sunt istis contraria, et de rebus divinis magnifice dicunt et argumentantur acriter: et altercationibus atque interrogationibus oratorem futurum optime Socratici praeparant. Sed his quoque adhiben- 36
dum est simile iudicium, ut etiam quum in rebus versemur iisdem, non tamen eandem esse conditionem sciamus litium ac disputationum, fori et auditorii, praeceptorum et periculorum.

IV. Credo exacturos plerosque, quum tantum esse 37
utilitatis in legendo iudicemus, ut id quoque adiungamus operi, qui sint legendi, quae in auctore quoque praecipua virtus. Sed persequi singulos infiniti fuerit operis. Quippe 38
quum in Bruto M. Tullius tot millibus versuum de Romanis tantum oratoribus loquatur et tamen de omnibus aetatis suae, (quibuscum vivebat) exceptis Caesare atque Marcello, silentium egerit: quis erit modus, si et illos et qui postea fuerunt et Graecos omnes et philosophos? Fuit 39

§. 35. *alias orator.* al. *alio.* Sp. ex coni. Vulgo omiss. Nostrum ex auctorit. nonn. codd. et editt. ante Basil. — *utilibus, quaeque sunt istis contraria.* al. *iisque quae s. i. c.* Sp. al. om. *istis* et substituunt: *his;* al. *iisq. quae sint c.*

§. 37. *qui sint legendi.* al. *qui sint* om. *legendi,* utpote quod sit glossatoris. Sp. *in auctore quoque.* al. ordine immutato: *quoque a.* Sp. Sed totum locum accuratius consideranti suspicio mihi sponte exorta est, num vera lectio antiquitus fuerit haec: *qui sint auctores, quae in quoque praecip. virt.*

§. 38. *de omnibus aetatis suae, quibuscum vivebat.* Ita Spald. improbante Frotsch. qui respuit verba: *quib. viv.*, glossatoris censens quae legantur in cod. Turic. *quidque conticuebit;* haec enim nihil aliud esse nisi: *quidque conticuerit*, verba scilicet adscripta ab interprete ad: *silentium egerit.* — Verum, si quid recte viderim, verba *silentium egerit* tali interpretamento nullam prorsus occasionem dederunt; potius quid sint *aetatis suae* explicatione dignum existimare potuerit, cui explanandi quae plana essent, pruritum fuisse ponamus. Sed ne id quidem argumentari necesse est; ipsi Codd. et Turic. et Florent. vestigia ostendunt, quibus insistentes coniecturam facere audemus, scriptum fuisse a prima manu: *quibusque uti consuerat.* Alii alia tentarunt, quae recensere piget. — *et philosophos*; al. addunt: *et poëtas persequi velim.* Simpliciter al. *persequemur.*

§. 39. *fuit.* al. *fuerit.* — *quae est.* al. om. *est.*

igitur brevitas illa tutissima, quae est apud Livium in epistola ad filium scripta, *legendos Demosthenem atque Ciceronem: tum ita, ut quisque esset Demostheni et Ci-*
40 *ceroni simillimus.* Non est tamen dissimulanda nostri quoque iudicii summa. Paucos enim et vix ullum ex his, qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri, qui iudicium adhibentibus non allaturus sit utilitatis aliquid, quum se Cicero ab illis quoque vetustissimis auctoribus, ingeniosis quidem, sed arte carentibus, plurimum fatea-
41 tur adiutum. Nec multo aliud de novis sentio. Quotus enim quisque inveniri tam demens potest, qui ne minima quidem alicuius certe fiducia partis memoriam posteritatis speraverit? Qui si quis est, intra primos statim versus deprehendetur, et citius nos dimittet, quam ut eius nobis magno temporis detrimento constet experimentum.
42 Sed non quidquid ad aliquam partem scientiae pertinet, protinus ad faciendam etiam φράσιν, de qua loquimur, accommodatum est.

Verum antequam de singulis loquar, pauca in universum de varietate opinionum dicenda sunt. Nam quidam solos veteres legendos putant neque in ullis aliis esse naturalem eloquentiam et robur viris dignum arbitrantur:

§. 40. *est tamen.* al. om. *tamen.* — *paucos enim et vix.* al. *paucos et vix.* Sp. *enim vel potius vix.* Reliqui. Nostrum a Frotsch. recept. nam pro *enim* in Codd. passim apparet nota: *er.* Drakenb. ad Liv. XXXIV, 50, 7. — *ex his.* al. *ex iis.* — *qui iudicium adh. non all.* al. *quin* om. *non.* Sp. cum Obr. sed cfr. infra. §. 48.

§. 41. *nec multo aliud.* al. *aliter.* — *de novis.* al. *nobis.* — *Quotus enim quisque etc.* Locus omni caligine obscurior. Codd. Turic. et Flor. exhibent: *in veritate mens potens quod* (s. *qui*; est enim per compendium scriptum) nisi quod Turic. *inveritande.* Post a sec. man. correctum: *in veritate tumens potensque*; atque eandem lectionem sequuntur al. Codd. et editt. ante Basil. Contra Obrecht. *fuerit adeo timens posteritatis qui* — (nimis audacter). Deinde pro *certe* codd. vel *ceteri*, vel *ceterae* vel *certae* habent; pro *posteritatis* Turic. et Flor. a sec. m. *artis sp.* et sic alii et editt. ante Basil. Nobis rem et lectionis varietatem et antiquissima codicum vestigia intuentibus expeditior quaedam via haec apparuit: *Quotus enim quisque inveniatur veri tam impotens, qui ne minimam quidem alicuius certae scientiae memoriam et artis speraverit?* De *certa* et *cetera* cfr. Drakenb. ad Liv. 34, 36, 4. Qualis locus vulgo perhibetur, nescio utrum frigidiorem habeam, an arrogantius dictum.

§. 42. *accommodatum est.* al. om. *est.* Sp. Fr. — *loquar* om. Obr.

alios recens haec lascivia deliciaeque et omnia ad voluptatem multitudinis imperitae composita delectant: ipsos etiam, qui rectum dicendi genus sequi volunt. Alii 44
pressa demum et tenuia et quae minimum ab usu quotidiano recedant, sana et vere Attica putant: quosdam elatior ingenii vis et magis concitata et alti spiritus plena capit: sunt etiam lenis et nitidi et compositi generis non pauci amatores. De qua differentia disseram diligentius, quum de genere dicendi quaerendum erit. Interim summatim, quid et a qua lectione petere possint, qui confirmare facultatem dicendi volunt, attingam. Paucos enim, qui sunt eminentissimi, excerpere in ani- 45
mo est. Facile est autem studiosis, qui sint his simillimi iudicare: ne quisquam queratur omissos forte aliquos, quos ipse valde probet. Fateor enim plures legendos esse quam qui a me nominabuntur.

Sed nunc genera ipsa lectionum, quae praecipue convenire intendentibus ut oratores fiant existimem, persequar.

A.) Igitur ut Aratus *ab Iove incipiendum* putat, ita 46
nos rite coepturi ab *Homero* videmur. Hic enim, quemadmodum *ex oceano* dicit ipse *amnium fontiumque cursus initium capere*, omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit. Hunc nemo in magnis rebus subli-

§. 43. *deliciaeque* al. *deliciaque*. Codd. et editt. ante Basil. — *ipsos etiam*. al. *ipsorum*. Sic Spald. ex coni. ita ut referatur ad sequens *alii*. Reliqui *omisso ipsos: sunt etiam qui* etc. *volunt*. Obr. Gesn. plena interpunctione post: *volunt*. — *et quae*. al. *atque quae*. — *alti spiritus pl.* al. omittunt *alti* Fr. al. ordine inverso: *plena sp.* al. *acris sp. pl.* Obr. Nostr. ex coni Burm. quem secutus est Sp. praeeuntibus Codd. Tur. et Flor. qui praebent: vel *alia spatius pl.* vel *alias*, vel *alios*. Nobis ex duobus tantum electio dari videtur; aut legendum esse: *altioris sp. pl.* aut totum membrum tanquam glossatoris additamentum exsecandum, ita ut habeatur interpretatio verborum: *magis concitata:* quibus librariorum aliquis adiecerit: (*alias:*) *spiritus pl.* Quid quod nonn. exhibent: *alias spurcitiis plena*. Ceterum nihil frequentius quam commutatio vocabulorum: *alias* et *altus*. Cfr. Drakenb. ad Liv. 37, 16, 7. — *summatim* al. *summa*. editt. ante Bas. — *quid et a qua*. al. *quid a qua*; vel *quid a quaque*.

§. 45. *plures*. al. *plurimos*. Sic ex Guelf. Fr. — *persequar*. al. *persequor*. Sp. Fr.

§. 46. *in magnis rebus*. al. om. *rebus*. — *superaverit*. al. *superavit*.

mitate, in parvis proprietate superaverit. Idem laetus ac pressus, iucundus et gravis, tum copia tum brevitate mirabilis: nec poetica modo, sed oratoria virtute eminen-
47 tissimus. Nam ut de laudibus, exhortationibus, consolationibus taceam: nonne vel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio, vel dictae in secundo sententiae omnes litium
48 ac consiliorum explicant artes? Affectus quidem, vel illos mites vel hos concitatos, nemo erit tam indoctus, qui non in sua potestate hunc auctorem habuisse fateatur. Age vero, non in utriusque operis (sui) ingressu paucissimis versibus legem prooemiorum non dico servavit, sed constituit? Nam et benevolum auditorem invocatione Dearum, quas praesidere vatibus creditum est, et intentum proposita rerum magnitudine, et docilem summa ce-
49 leriter comprehensa facit. Narrare vero quis brevius quam qui mortem nunciat Patrocli, quis significantius potest, quam qui Curetum Aetolorumque praelium exponit? Iam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum et argumenta, ceteraque quae probandi ac refutandi, sunt ita multa, ut etiam qui de artibus scripserunt plurima harum rerum testimonia ab hoc poëta

§. 47. *consolationibus.* al. addunt *que.*

§. 48. *non in utriusq. op. ingressu pauc.* al. *non utriusq. operis ingressus in pauc.* Sic Sp. Fr. alii inserunt *sui* vel ante *operis* vel post. Quod si cui approbetur, locum habeat post *operis;* plures certe suppetunt rationes, cur servemus, quam quod respuamus. — *nam et benev.* al. om. *et.* Sp. Fr.

§. 49. *digressus.* Frotsch. constanter: *degressus.* Sed vide quae super hac re monuit Walch. ad Tacit Agric. p. 298. — *ceteraque quae probandi ac refutandi, sunt ita multa.* al. *cetera quaeque* Gesn. al. *ceteraque;* nostrum ex codd. auctoritate Sp. Fr. Iam vero *sunt* alii ad *refutandi* pertinere censent, in quibus Sp. Fr. Ceterum de structura *refutandi* etc. cfr. Kiessling ad Tac. Ann. 1, 3. et Kritz ad Sallust. Cat. 6, 7. Quorum quidem virorum doctorum iudicia quum paullulum inter se discrepent, audiendus quoque est Zumpt. ad h. l. qui lectionem tanquam prae ceteris dignam commendat: *ceteraque probandi et refutandi* (argumenta puta) *sunt ita multa.* Verum, uti non recte sententiam viri docti nos perspexisse profitemur, ita quomodo lectio Spaldingiana orationem pessumdet, non intelligimus. Nonne enim eadem est dignitas pronominis *quae,* quam adiectivo *cetera* adserere non dubitat vir supra laudatus? — *plurima — testimonia.* al. *plurimi — testimonium.* Sp. Fr.

petant. Nam epilogus quidem quis unquam poterit illis 50
Priami rogantis Achillem precibus aequari? Quid? in
verbis, sententiis, figuris, dispositione totius operis,
nonne humani ingenii modum excedit? ut magni sit,
virtutes eius non aemulatione, quod fieri non potest, sed
intellectu sequi. Verum hic omnes sine dubio et in omni 51
genere eloquentiae procul a se reliquit; epicos tamen
praecipue: videlicet quia clarissima in materia simili com-
paratio est. Raro assurgit *Hesiodus* magnaque pars eius 52
in nominibus est occupata; tamen utiles circa praecepta
sententiae, levitasque verborum et compositionis proba-
bilis: daturque ei palma in illo medio genere dicendi.
Contra in *Antimacho* vis et gravitas et minime vulgare 53
eloquendi genus habet laudem. Sed quamvis ei secun-
das fere grammaticorum consensus deferat, et affectibus
et iucunditate et dispositione et omnino arte deficitur: ut
plane manifesto appareat, quanto sit aliud proximum
esse, aliud secundum. *Panyasin* ex utroque mixtum 54
putant in eloquendo, neutriusque aequare virtutes: alte-
rum tamen ab eo materia, alterum disponendi ratione
superari. *Apollonius* in ordinem a grammaticis datum
non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes, poeta-
rum iudices, neminem sui temporis in numerum rede-
gerunt: non tamen contemnendum edidit opus aequali
quadam mediocritate. *Arati* materia motu caret, ut in 55
qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona, nulla

§. 50. *Priami rog. Ach.* al. transponunt: *rog. Ach. Pr.* — *magni sit.* Ita Frotsch. ex Tur. Flor. al. addunt *viri*, quod languere quisque facile sentiet. Monet Zumpt. ex praecedent. supplendum esse: *ingenii.* Equidem maluerim: *operis.*

§. 51. *epicos* al. *heroicos.* — *clarissima* al. *durissima.* Fr. ex auctor. cod. Tur. Sed intellige maxime in oculos incurrentem.

§. 52. *levitasque* al. *lenitas.* — *medio.* al. *mediocri.*

§. 54. *mixtum putant in eloquendo.* al. virgulam ponunt post *putant*; et simpliciter exhibent: *neutrius.* — *poëtarum iudices.* al. *iudicium.* Fr. ad exemplum Codd. Tur. et Almel. Sed quum a sec. manu scriptum sit: *iuditio*, in Campan. per *c*: quidni statuamus excidisse *in*, ita ut prisca lectio fuerit: *in poëtarum iudicio.* — *edidit.* al. *reddit.* Fr. etiam *reddidit:* unum est *edidit*, quod et usui loquendi et sententiae scriptoris conveniat.

§. 55. *nulla cuiusquam sit orat.* al. omittunt *nulla*, et dirimunt: *cui usquam.* Pro *cuiusquam* Guelf. *cuiuspiam.* Pro *sit* al.

cuiusquam sit oratio: sufficit tamen operi, cui se parem credidit. Admirabilis in suo genere *Theocritus*, sed musa illa rustica et pastoralis non forum modo, verum
56 ipsam etiam urbem reformidat. Audire videor undique congerentes nomina plurimorum poetarum. Quid? Herculis acta non bene *Pisandros*? *Nicandrum* frustra secuti Macer atque Virgilius? Quid? *Euphorionem* transibimus? quem nisi probasset Virgilius, idem nunquam certe conditorum Chalcidico versu carminum fecisset in Bucolicis mentionem. Quid? Horatius frustra *Tyrtaeum*
57 Homero subiungit? Nec sane quisquam est tam procul a cognitione eorum remotus, ut non indicem certe ex bibliotheca sumtum transferre in libros suos possit. Nec ignoro igitur quos transeo nec utique damno, ut qui dixerim esse in omnibus utilitatis aliquid: sed ad illos iam
58 perfectis constitutisque viribus revertemur. Quod in coenis grandibus saepe facimus, ut quum optimis satiati sumus, varietas tamen nobis ex vilioribus grata sit. Tunc et elegiam vacabit in manus sumere, cuius princeps habetur *Callimachus:* secundas confessione plurimorum *Phi-*
59 *letas* occupavit. Sed dum assequimur illam firmam, ut dixi, facilitatem, optimis assuescendum est et multa magis quam multorum lectione formanda mens et ducendus color. Itaque ex tribus receptis Aristarchi iudicio scriptoribus iamborum ad ἕξιν maxime pertinebit unus
60 *Archilochus*. Summa in hoc vis elocutionis, quum validae tum breves vibrantesque sententiae, plurimum sanguinis atque nervorum, adeo ut videatur, quibus quoque

*fit.* — *se parem cred.* al. addunt: *vel aequalem.* Ienson. Nobis quum Guelf. cum Voss. I. 3. dent: *aequalem cr. parem* probabilius esse videtur *aequalem* antiquitus scriptum fuisse: quod quum insolentius dictum ab aliquo haberetur, originem dederit interpretamento.

§. 57. *sed ad illos iam perfectis* etc. al. *perfectos.* Fr. ex auctor. Turic. et Flor. Cfr. quae eodem sensu a scriptore dicta leguntur 1, 8, 6. 12. „*ad firmius aetatis robur reserventur.*“

§. 58. *quod.* Al. addunt: *etiam.* al. exhibent: *et.* — *satiati sumus.* al. *simus.*

§. 59. *ducendus color.* al. interponunt *est.*

§. 60. *quibus quoque.* al. *quibusdam, quod quoquam.* Sp. *quibusd. quod quondam.* Fr. *quod quidem;* editt. ante Basil. Nostrum ex coniect.

minor est, materiae esse non ingenii vitium. Novem 61
vero Lyricorum longe *Pindarus* princeps, spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia, et velut quodam eloquentiae flumine: propter quae Horatius eum merito credidit nemini imitabilem. *Stesichorum*, quam sit ingenio validus, materiae quoque 62
ostendunt, maxima bella et clarissimos canentem duces et epici carminis onera lyra sustinentem. Reddit enim personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem, ac si tenuisset modum, videtur aemulari proximus Homerum potuisse: sed redundat atque effunditur: quod ut est reprehendendum, ita copiae vitium est. *Alcaeus* in 63
parte operis *aureo plectro* merito donatur, quia tyrannos insectatus multum etiam moribus confert: in eloquendo quoque brevis et magnificus et diligens et plurimum orationi similis: sed et in peius it et (in) amores descendit, maioribus tamen aptior. *Simonides*, tenuis alioqui, ser- 64
mone proprio et iucunditate quadam commendari potest: praecipua tamen eius in commovenda miseratione virtus, ut quidam in hac eum parte omnibus eius operis aucto-

§. 61. *et velut.* al. om. *et.* Retinuimus particulam propter gradationem sententiarum.

§. 62. *Stesichorum.* al. *Stersich.* al. *Terpsicorus.* — *canentem-sustinentem.* In multis editt. *canente-sustinente*, ex Tur. a sec. m. in al. *canentem-sustinente.* Iens.

§. 63. *quia.* al. *qua.* Sp. — *et plurimum.* al. *et plerumque.* Sp. Fr. — *orationi.* al. *oratori.* al. *Homero.* Nostrum tum ex iudicio Spaldingii qui suasit *oratori*, et Frotscheri, qui recepit: ansam praebuere Codd. Turic. et Flor. in quibus exstat: *orationis.* — *sed et in peius it.* Ex coniectura haec ita dare ausi sumus; quum alii alia suaserint et receperint. Vestigia secuti sumus Codd. Turic. et Flor. qui dant: *sed et eius sit.* al. *sed et lusit.* al. *sed in lusus et amores desc.* Obr. Zumptio probatur: *nam et lusit.* Nostrae lectioni aliquantum probabilitatis eo accedere videtur, quod ita quae facile agnoscitur *oppositio* luculentior fit. Quod si cui non probetur, alteram illam evocare liceat rationem, qua rem difficilem explicare conati sumus: *sed et ut Teius lusit.* Cfr. Versionem nostr. p. 111. — *sermone.* al. *sermones.* Tur. unde Spald. divinabat: num *sermonis proprietate et iucunditate?* — *commovenda miseratione.* In Tur. et Flor. legitur: *miserationis*; in Camp. duce illo: *commovendo mis.* Contortam quidem dicit orationem V. S. Spald. verum ut dicam, quod sentio, numero plurali perquam apte describi videntur singuli sensus et affectus animi misericordia commoti.

§. 64. *eius.* al. *eiusdem.*

65 ribus praeferant. Antiqua comoedia quum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimae libertatis est et insectandis vitiis praecipua; plurimum tamen virium etiam in ceteris partibus habet. Nam et grandis et elegans et venusta: et nescio an ulla, post Homerum tamen, quem ut Achillem semper excipi par est, aut similior sit oratoribus aut ad oratores faciendos aptior. Plures eius auctores: *Aristophanes* tamen
66 et *Eupolis Cratinus*que praecipui. Tragoedias primum in lucem *Aeschylus* protulit, sublimis et gravis et grandiloquus, saepe usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus: propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre posterioribus poetis Athenienses per-
67 misere, suntque eo modo multi coronati. Sed longe clarius illustraverunt hoc opus *Sophocles* atque *Euripides*: quorum in dispari dicendi via uter sit poeta melior, inter plurimos quaeritur. Idque ego sane, quoniam ad praesentem materiam nihil pertinet, iniudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis, qui se ad agendum comparant, utiliorem longe fore Euripidem.
68 Namque et sermone (quod ipsum reprehendent, quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophoclis sublimior erit) magis accedit oratorio generi, et sententiis densus et in

§. 65. *facundissimae.* al. *fecundi.* — *est et*; ita ex Wolff. sententia, ace. Frotsch. et Zumpt. Vulg. *etsi.* — *insectandis.* al. inserunt: *in.* — *venusta.* Codd. Tur. et Flor. *vetusta.* — *nescio an ulla.* Spald. substituit: *an nulla.* Cfr. vers. Germ. p. 112.

§. 66. *primum.* al. *primus.* Cfr. §. 80.

§. 67. *fore Eurip.* al. *Eurip. f.* — *Euripiden* Frotsch. ex Tur.

§. 68. *Namque et sermone.* al. *is et in serm.* Sp. praeeunte Gesn. al. *namque hic et.* Obr. Nostrum ex codd. Flor. et Paris. 1. 2. pro quo al. *et vi et serm.* Flor. a. m. s. Turic. et editt. nonn. — *quod ipsum reprehendent.* al. *reprehendunt.* Nos quidem vestigiis antiquissimorum codd. insistere minime dubitavimus, qui exserunt: *reprehendet*, unde in Camp. *reprehenderet.* — *sublimior erit.* Recipere ausi sumus et hanc optimam lectionem ex auctoritate Codd. Tur. et Flor. quum antea in omnibus fere editt. legeretur *videtur esse sublimior*, om. *erit*: scilicet quin ista: *videtur esse* interpretationem haberemus verbi simpliciter dicti: *erit*, nihil prorsus obstare videbatur. Ita enim quam optime codicum testimoniis satisfacere putabamus; in quibus (Tur. Flor.) cur insertum sit *erit* alioquin nulla causa idonea apparet. — *in oratione.* Fr. Al. om. *in.* Obr. Gesn. acc. Sp.

iis, quae a sapientibus tradita sunt, paene ipsis par, et dicendo atque respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, comparandus: in affectibus vero quum omnibus mirus, tum in iis, qui in miseratione constant, facile praecipuus. Et admiratus maxime est, ut saepe 69
testatur, et eum secutus, quamquam in opere diverso, *Menander:* qui vel unus, meo quidem iudicio, diligenter lectus ad cuncta, quae praecipimus, efficienda sufficiat: ita omnem vitae imaginem expressit; tanta in eo inveniendi copia et eloquendi facultas; ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus. Nec nihil 70
profecto viderunt, qui orationes, quae *Charisii* nomine adducuntur, a Menandro scriptas putant. Sed mihi longe magis orator probari in opere suo videtur, nisi forte aut illa mala iudicia, quae Epitrepontes, Epicleros, Locroe habent, aut meditationes in Psophodee, Nomothete, Hypobolimaeo non omnibus oratoriis numeris sunt absolutae. Ego tamen plus adhuc quiddam collaturum eum 71
declamatoribus puto, quoniam his necesse est secundum conditionem controversiarum plures subire personas, patrum, filiorum, militum, rusticorum, divitum, pauperum, irascentium, deprecantium, mitium, asperorum. In quibus omnibus mire custoditur ab hoc poeta decor. Atque ille quidem omnibus eiusdem operis auctoribus abs- 72
tulit nomen et fulgore quodam suae claritatis tenebras obduxit. Habent tamen alii quoque comici, si cum ve-

§. 69. *Et admiratus.* Vulgaris lectio *hunc* et *adm.* Praestabilior nobis videbatur et concinnior nostra, quam restituimus ex auctorit. codd. Tur. et Flor.

§. 70. *nomine adducuntur.* Vulgo legebatur: *nomine eduntur;* pro quo Frotsch. *addicuntur nomini.* Nos strictius adhaerendum esse credebamus Codd. exemplis, in quibus est: *adductura.* Tur. et Flor. — *putant* al. *putent*, quod quidem primo statim adspectu horrorem iniicit. — *Locroe.* al. *Locri.* Priscam illam formam qua Graecain *Λοκροὶ* et similia pro sua ratione effingere solebant Latini, primum recepit Frotsch. approb. Zumpt. ad h. l. — *oratoriis numeris* al. *oratoris.* Spald. qui alteram illam lectionem a nostro loco etiam prorsus alienam censet. At non homo, sed ars respicitur.

§. 71. *decor.* al. *decorum.*

§. 72. *obduxit.* al. *adduxit.* Cod. Turic. *induxit.* Camp. — *leguntur.* al. *legantur.* — *pravis.* Haud pauci codd. et nonn., editt.

nia leguntur, quaedam quae possis decerpere: et praecipue *Philemon*, qui ut pravis sui temporis iudiciis Menandro saepe praelatus est, ita consensu tamen omnium meruit credi secundus.

73 *Historiam* multi scripsere praeclare, sed nemo dubitat longe duos ceteris praeferendos, quorum diversa virtus laudem paene est parem consecuta. Densus et brevis et semper instans sibi *Thucydides:* dulcis et candidus et fusus *Herodotus:* ille concitatis, hic remissis affectibus melior; ille concionibus, hic sermonibus; ille
74 vi, hic voluptate. *Theopompus* his proximus ut in historia praedictis minor, ita oratori magis similis: ut qui, antequam est ad hoc opus solicitatus, diu fuerit orator. *Philistus* quoque meretur, qui turbae quamvis bonorum post eos auctorum eximatur, imitator Thucydidis et ut multo infirmior, ita aliquatenus lucidior. *Ephorus*, ut Isocrati visum, calcaribus eget. *Clitarchi* probatur in-
75 genium, fides infamatur. Longo post intervallo temporis natus *Timagenes*, hoc (est) vel ipso probabilis, quod intermissam historias scribendi industriam nova laude reparavit. *Xenophon* non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est.

76 Sequitur *oratorum* ingens manus, ut quum decem simul Athenis aetas una tulerit. Quorum longe princeps

*prave*. Eadem fere erat ratio loci supra notati §. 26. Ceterum in paucis Codd. sed in mult. editt. pro *ut* legitur *quamvis*: nimirum ex fonte passim redundante. — *credi*. Al. inserunt *esse*; et Guelferb. simpliciter exhibet: *esse sec.* om. *credi*. Agnosces glossatoris manum.

§. 73. *fusus*. al. *effusus*. — *voluptate*. al. *voluntate*; cuius quidem confusionis permulta exstant exempla. Cfr. Corte ad Sall. Iug. 13. Drakenb. ad Liv. V, 6, 3.

§. 74. *post eos*. al. *hos*.

§. 75. *hoc (est) vel ipso*. Sp. al. *vel hoc est ipso*. Obr. Gesn. al. Contra Camp. et Guelf. c. Goth. exhibent: *hoc vel*, et: *vel h*. Unde concluserim, *est* salva concinnitate omitti posse; immo olim et a prima manu scriptum fuisse: hoc *et* ipso. Librariorum aliquis pro sua copia adiecit: *vel;* scilicet ne quem dubium traheret illud *et*. Hanc vero particulam saepe excidisse monet Duker. ad Liv. 34, 14, 2. Denique in eiusmodi censu habendo non adeo frequentat Quinctil. verbum substant.

§. 76. *ut quum*. al. omittunt *ut*. In Camp. simpliciter: *ut*.

*Demosthenes* ac paene lex orandi fuit: tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi modus, ut nec quod desit in eo nec quod redundet invenias. Plenior *Aeschines* et magis 77
fusus et grandiori similis, quo minus strictus est; carnis tamen plus habet, minus lacertorum. Dulcis imprimis et acutus *Hyperides*, sed minoribus causis, ut non dixerim utilior, magis par. His aetate *Lysias* maior, sub- 78
tilis atque elegans et quo nihil, si oratori satis sit docere, quaeras perfectius: nihil enim est inane, nihil arcessitum; puro tamen fonti quam magno flumini propior. *Iso-* 79
*crates* in diverso genere dicendi nitidus et comtus et palaestrae quam pugnae magis accommodatus, omnes dicendi veneres sectatus est; nec immerito: auditoriis enim se non iudiciis compararat: in inventione facilis, honesti studiosus: in compositione adeo diligens, ut cura eius reprehendatur. Neque ego in his, de quibus locutus sum, 80
has solas virtutes, sed has praecipuas puto; nec ceteros parum fuisse magnos. Quin etiam *Phalerea* illum *Demetrium*, quamquam is primum inclinasse eloquentiam dicitur, multum ingenii habuisse et facundiae fateor, vel

§. 77. *minus lacertorum.* al. ordine inverso: *l. m.*

§. 78. *satis sit.* al. *est.* Ita ex Tur. et Camp. Frotsch. Vulgo: *sit.* Contra Spald. ex coni. *esset.* Cfr. Vers. p. 114.

§. 79. *comparat.* Codd. optimi, velut Turic. Flor. Guelf. et permultae editt. vetustae conspirant in: *comparat.* Inde conjecturam facere liceat a prima manu scriptum fuisse: *comparet* vel *comparuit*; praesertim quum ita divinari queat, quid ansam praebuerit librariorum alicui inserendi verbi *venit*, quod legitur in Turic. pro: *se non.* Neque etiam dubitaverim, quin optimo iure defendi possit *dativus* casus: *auditoriis — iudiciis.* De sententia cfr. I, 2, 18. et de verborum confusione Drakenb. et Gronov. ad Liv. VI, 1, 10. Itaque locum ita habuisse putamus: *audituris enim se non iudiciis comparuit.* Tur. enim et Flor. a pr. m. dant: *audituris*; quod quanto illi alteri voci praestet, quisque sentiet. — *cura — reprehendatur.* Non alienum censeo, adolescentulos admonere iudicii, quod olim in summorum oratorum veterum laudibus celebrandis de Isocrate tulit clarissimus Ernesti, ipse optimi dicendi generis nobilissimum exemplum. Oratt. et Acroas. p. 25 sq. edit. Lugdun. Bat. 1762.

§. 80. *is primum.* Ita codd. Tur. Flor. al. *primus.* Ita etiam Sp. Fr. et priores. Sed cfr. Duk. et Drakenb. ad Liv. VI, 11, 7. — *Phalerea.* Sp. ex codd. Vulg. *Phalereum.* — *medio.* Codd. aliquot: *mediocri.*

ob hoc memoria dignum, quod ultimus est fere ex Atticis, qui dici possit orator: quem tamen in illo medio genere dicendi praefert omnibus Cicero.

81 *Philosophorum*, ex quibus plurimum se traxisse eloquentiae M. Tullius confitetur, quis dubitet *Platonem* esse praecipuum, sive acumine disserendi sive eloquendi facultate divina quadam et Homerica? Multum enim supra prosam orationem et quam pedestrem Graeci vocant, surgit: ut mihi non hominis ingenio, sed quodam 82 Delphico videatur oraculo dei instinctus. Quid ego commemorem *Xenophontis* illam iucunditatem inaffectatam, sed quam nulla consequi affectatio possit? ut ipsae sermonem finxisse Gratiae videantur et, quod de Pericle veteris comoediae testimonium est, in hunc transferri iustissime possit, in labris eius sedisse quandam persua- 83 dendi Deam. Quid reliquorum *Socraticorum* elegantiam? Quid *Aristotelem?* quem dubito scientia rerum an scriptorum copia, an eloquendi (usus) suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem. Nam in *Theophrasto* tam est loquendi nitor ille divinus, 84 ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur. Minus indulsere eloquentiae *Stoici* veteres: sed quum honesta suaserunt, tum in colligendo probandoque quod instituerant

§. 81. *oraculo dei.* Plerique omittunt *dei*; quod recipere non dubitavimus, quum nulla adsit caussa, cur auctoritati Codd. Tur. et Flor. quibus nuper accessit Leid. A. diffidamus, nisi quod ibidem legitur: *instrictus*, unde a corrigente manu: *instructus*: quod merito refugimus, obsecuti Drakenborchio ad Liv. V, 15, 10.

§. 82. *illam iuc.* al. *iuc. i.* — *consequi aff. poss.* Sic Sp. ex Tur. Flor. Etiam hic ordo verborum varie turbatur. al. *p. a. c.* al. *a. c. p. ut ipsae sermon. finx. Gratiae vid.* al. *ipse serm. Graecis finx. videatur.* lens. cum editt. ante Ald. Badio non displicuit *ipsi.*

§. 83. *an eloquendi suav.* al. inserunt *usus* eloq. Tur. Flor. quod prorsus respuere nefas duximus, tum ab aliorum quoque codd. auctoritatem, tum quod bene congruit cum auctoris sententia; *constans* enim quaedam eloquendi ratio significatur; neque etiam membrorum turbatur aequalitas. — *loquendi nitor.* al. *eloquendi.* Obr. Gesn. et multi priorr.

§. 84. *colligendo.* al. *eligendo.* — *quod instit.* al. *quae.* Sp. quamquam non improbat nostrum; quod est in Goth. et apud lens. et alios ante Ald. — *affectaverunt* al. *affectant.* al. *affectarunt.*

plurimum valuerunt: rebus tamen acuti magis quam, id quod sane non affectaverunt, oratione magnifici.

B.) Idem nobis per Romanos quoque auctores ordo 85
ducendus est. Itaque ut apud illos Homerus fuit, sic apud nos *Virgilius* auspicatissimum dederit exordium, omnium eius generis poetarum, Graecorum nostrorumque, haud dubie proximus. Vtor enim verbis iisdem, quae 86
ab Afro Domitio iuvenis excepi: qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere, *Secundus*, inquit, *est Virgilius, propior tamen primo quam tertio.* Et hercule ut illi naturae coelesti atque immortali cesserimus, ita curae et diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum: et quantum eminentibus vincimur, fortasse aequalitate pensamus. Ceteri omnes 87
longe sequuntur. Nam *Macer* et *Lucretius* legendi quidem, sed non ut phrasin, id est corpus eloquentiae faciant: elegantes in sua quisque materia, sed alter humilis, alter difficilis. *Atacinus Varro* in iis, per quae nomen est assecutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples. *Ennium* sicut sacros vetustate lucos 88
adoremus, in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent speciem, quantam religionem. Propiores

§. 85. *apud nos.* In Camp. *Romanos.* — *haud dub.* nonn. praemittunt: *illi.* Obr. Gesn.

§. 86. *utor.* al. *utar.* Obr. G. — *ab Afro.* al. *ex.* Sp. Fr. Praestare nobis videtur *ab*, quod quum prorsus desit in Turic. et Flor. excidere poterat propter sequens *Afro.* — *excepi.* Sp. al. *accepi.* Obr. Gesn. et plerique. — *hercule* al. *hercle.* Facile recordantur studiosi bonarum literarum, quam frequens sit in hac asseverandi forma Tacitus. Ann. I, 3. 17. — *ut.* al. *cum.* Codd. Flor. Tur. — *coelesti atque immortali.* In 3 codd. melioris notae est: *coel. atq. divinae.* In Camp. *divinae atq. coel.* quae quidem verborum coniunctio haud infrequens. Cic. Phil. V, 11. Attamen utra vox auctoris sit, non dubium erit, si quae videri poterat vocabuli *immortalis* ambiguitas, certe posteriori aetate, spectaveris. — *et quantum em.* al. *eminentioribus*, et pro *quantum* dant: *quanto plus.* Unde eo adducimur ut antiquitus scriptum fuisse opinemur: *quanto — vincimur, plus fortasse etc.*

§. 87. *sequuntur.* Vulgo: *sequentur.* Sed lectionem nostram tuetur praeter Cod. Paris. 1. et editt. Camp. et Obr. ipsa, ni fallor, scriptoris ratio, h. l. sententiam plane et aperte, neque cum conditione ferentis. Approbat Zumpt. ad h. l.

alii atque ad hoc, de quo loquimur, magis utiles. Lascivus quidem in herois quoque *Ovidius* et nimium amator ingenii sui; laudandus tamen partibus. *Cornelius* autem *Severus*, etiamsi versificator quam poeta melior, si tamen, ut est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, vindicaret sibi iure secundum locum. Verum eum consummari mors immatura non passa est: puerilia tamen eius opera et maximam indolem ostendunt et admirabilem, praecipue in aetate illa, recti generis voluntatem. Multum in *Valerio Flacco* nuper amisimus. Vehemens et poeticum ingenium *Salei Bassi* fuit; nec ipsum senectute maturum. *Rabirius* ac *Pedo*

§. 88. *atque ad hoc de quo.* al. *ad hanc de qua.* Inde exortum est, quod in nonn. editt. insertum legitur: (Obr. Gesn.) ad h. *phrasin.* — *in heris.* Frotsch. ex codd. assent. nunc Zumpt. al. *heroicis.* Sp. et priorr. — *partibus* al. addunt: *in.* Obr. Gesn. Sed eandem structuram reperies IX, 4, 111. et a plurimis codd. praepositio h. l. abest. Ad hoc sollemnis fere scriptoribus illius aetatis, veluti Tacito, usus *ablativi simpliciter positi*, ad significandam *partem* vel *rem* qua quis in utramque partem insignis est. Cfr. supra §. 73. Tacit. Ann. 1, 3. *bonus militia.* Praeiverunt exemplum et Sallustius et Livius, apud quem IV, 3. *pace belloque bonus.* Sunt etiam loci, in quibus haud immerito aliquis requirat vel *in*, vel *ex*, vel *propter.*

§. 89. *etiamsi.* Quum codd. Turic. et Guelf. cum Voss. 3. haberent: *etiam sit*, Spaldingio haud absurda videbatur lectio: *etiamsi sit.* Quae si admittatur lectio, vereor, ne pro certo quod tulit Quinctil. iudicio, animo fluctuasse videatur. — *ad exemplar.* al. *exempla.* Fr ex Tur. — *verum eum.* Locum vehementer impeditum ita explicare non tam tentavimus, quam ausi sumus; neque tamen id factum est invitis Codd. ex quibus Flor. dat: *ferrenum.* Guelf. *Uarrenum.* Quibus indiciis commoti alii exararunt: *Varenum*, adnitente Burm. alii *Serranum*, cui imprimis favet Sarpe. Cfr. Frotsch. ad h. l. — At nobis haec omnia a Quinctil. cum quadam animi aegritudine pronunciata videntur, utpote qui egregium poëtae iuvenis ingenium morte praereptum doleret; quare iudicio superiori aliquid addendum erat, quo confirmaretur. Spald. dat: *Sed* eum; praecedent. prioribus, in quibus Obr. Gesn. Scilicet *perscripsisset* nobis est: scribendo *absolvere potuisset.* Deinde distinguendum est inter vulgarem sententiam (ut est dictum) et quam suam profitetur Quinctil. — *admirabilem.* al. *mirabil.*

§. 90. *Salei* al. *Saleii* vel *Salii.* — *maturum.* Quid vere hic lateat sub notis codd. Tur. et Flor. heu nimis mutilis, non tam discerni quam divinari potest. Nostrum et Spald. et vulgatum. Frotschero praestare visum est: *maturuit*, auctore et suasore Spaldingio ad h. l. Sed quod est in Cod. Tur. *maturbi* (et in quo nititur Sp.) id ne a proximo nomine *Rabirii* exortum sit, ve-

non indigni cognitione, si vacet. *Lucanus* ardens et concitatus et sententiis clarissimus et, ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam poetis imitandus. Hos no- 91
minavimus, quia GERMANICVM AVGVSTVM ab institutis studiis deflexit cura terrarum parumque diis visum est, esse eum maximum poetarum. Quid tamen his ipsis eius operibus, in quae, donato imperio, iuvenis secesserat, sublimius, doctius, omnibus denique numeris praestantius? Quis enim caneret bella melius quam qui sic gerit? Quem praesidentes studiis Deae propius audirent? Cui magis suas artes aperiret familiare numen Minerva? Dicent haec plenius futura saecula. Nunc 92
enim ceterarum fulgore virtutum laus ista praestringitur. Nos tamen sacra literarum colentes feras CAESAR, si non tantum hoc praeterimus et Virgiliano certe versu testamur,

*Inter victrices hederam tibi serpere lauros.*

Elegia quoque Graecos provocamus, cuius mihi tersus 93

reor. — *imitandus.* Sic constanter opt. codd. et editt. vett. nonn. al. *adnumerandus.* Gesn. Sp. immo: *numerandus.* Iens. al. Ex quo fonte haec scriptura emanaverit, colligi potest, si quis spectaverit commixtionem non ita infrequentem verborum *imitari* et *mirari.* Quodsi itaque ponimus, scriptum fuisse a manu labantis cuiusdam librarii *mirandus:* facilis inde ad *numerandus* saltus erat.

§. 91. *parumque.* Sic vulgo legitur, quamquam invitis codd. in quibus est: *his*; in nonn. deest *enclitica*, in al. datur: *quae.* Inde suspicor, veram scripturam fuisse: parum *quod* diis. Saepe enim particulas *que* et *quia* et *quod* inter se confusas esse exempla quam plurima docent. Cfr. Drakenb. ad Liv. II, 4, 3. et VIII, 30, 9. ubi habes literam *d* interceptam ab antecedente. — *donato imperio.* Sic ex auctorit. codd. Turic. Flor. Guelf. alior. in omnibus fere editt. legitur. Alii, sed pauci numerantur, Campan. secuti, dant: *donatus.* Fuerunt qui coniicerent: *natus.* Zumptio ad h. l. probatur: *pacato*; verum id ipsum nobis prorsus displicet. Probabilius videtur: *damnato*, i. e. *spreto*, *abiecto.* Cfr. Tacit. Hist. IV. extr. Ita si qua est, ipsa adulatio robur adsumit. — *secesserat.* Libri exhibent: *successerat.* At nostr. ex coniect. Lipsii ad Tacit. Hist. IV, 86. — *gerit.* al. *egerit.*

§. 92. *tantum.* Vulgo: *tacitum.* Usurpare, quod suppeditant Codd. Turic. et Florent. nos coegit non solum reverentia vetustatis, sed nisi mente decipimur, ingenii Quinctiliani, a quo alienum erat addere: *tacitum*, quamquam nos non fugit frequens vocum commixtio.

§. 93. *quoque Graec.* al. ordine immutato: *Gr. quoq.* — *Satira.*

atque elegans maxime videtur auctor *Tibullus*. Sunt qui *Propertium* malint. *Ovidius* utroque lascivior, sicut durior *Gallus*. Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus *Lucilius* quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis praeferre
94 non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui *Lucilium fluere lutulentum* et *esse aliquid, quod tollere possis*, putat. Nam eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abundantia salis. Multo et est tersior ac purus magis *Horatius* et, nisi labor eius amore, ad notandos hominum mores praecipuus. Multum et verae gloriae, quamvis uno libro,
95 *Persius* meruit. Sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur. Alterum illud etiam prius satirae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit *Terentius Varro*, vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros et doctissimos composuit, peritissimus linguae Latinae et omnis antiquitatis et rerum Graecarum nostrarumque, plus tamen scientiae collaturus quam eloquentiae.
96 Iambus non sane a Romanis celebratus est ut proprium

al. *Satyra*. Frotsch. dedit: *Satura*. Aliam fuisse scripturam Quinctiliani, aliam librariorum pro certo habeo: sed praestare videbatur sequi usum recentiorum. — *adeptus*. al. adduntur: *est*. — *amatores*. Frotsch. uncis inclusit: abest enim a Basil. Neque vero omissum excusarem.

§. 94. *abundantia* al. *abunde*. Sic Frotsch. ex codd. (cum eo Gernh.) Sed ut dicam, quod sentio, *abundantia* non placet: itaque in mentem venit: *abunde etiam*; in quo, quantum nunc videre licet, ex parte adiuvor codd. qui dant: *multum etiam est*. Quae verba quo referantur, quum haesitent critici, quid est quod impedit, quominus *multum est* interpretamentum habeamus vocis *abunde*, quod h. l. cum Genitivo constructum insolentius alicui videbatur? Quod si placet, oratio ita procedat: *Tersior ac purus* etc. nam Quinctil. scripsisse: *multum et est tersior* etc. mihi aegre persuaserim. Itaque dum meliora in lucem proferuntur, servetur lectio vulgaris: *multo*. — *nisi*. al. *non*. Spald. suspicabatur: *non enim*. Verba: *ad not. hom. mores* a Frotsch. omittuntur: nulla enim nituntur codd. auctoritate: una est edit. Campan. quae hanc scripturam confirmet. Eam recepit Spald. qui tamen respuit parenthesin illam *nisi lab. ei. am.*

§. 95. *hodieque* al. *hod. quoque*. — *dlterum* — *sed* al. *alt. illud est et p. sat. gen. quod non* etc. *quod*. Obr. Gesn.

opus; quibusdam interpositus: cuius acerbitas in *Catullo*, *Bibaculo*, *Horatio*, quamquam illi epodos intervenit, non reperietur. At Lyricorum idem *Horatius* fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando et plenus est iucunditatis et gratiae et varius figuris et verbis felicissime audax. Si quemdam adiicere velis, is erit *Caesius Bassus*, quem nuper vidimus: sed eum longe praecedunt ingenia viventium. Tragoediae scriptores veterum *Accius* atque *Pacuvius* clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse. Virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuvium vindicare doctiorem, qui esse docti affectant, volunt. Iam *Vari Thyestes* cuilibet Graecarum comparari potest. *Ovidi Medea* videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset.

§. 96. *quamq. illi epod. intervenit.* Locus, quem vix ad pristinam integritatem restituas. Apud Spald. est: *quamq. illi epod. intervenire reperiatur.* Gesner. eandem lectionem servans, addit *non* ante *rep.* Alii alia commenti sunt: Frotsch. probabiliora videbantur haec: *quamquam illi epod. interveniat, reperietur*, ita tamen, ut *illi* ad Horatium pertinere ex auctoritate cl. Hermanni censeret. Sed *intervenire*, si quid video, magis *rebus* h. l. *versibus*, quam *personis* conveniens est. Itaque ad *iambum* refero pronominis vim; nam quum ex aliis locis tum maxime ex libro IX, 3, 23. apparet, *intervenire* i. e. *interpositum esse* ad res spectare, veluti: *continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit;* scilicet describitur *parenthesis.* Est praeterea coniectura Viri docti, qui suadet lectionem hancce: *in Catullo, Bibaculo; in Horatio — non rep.* Cfr. Zumpt. ad h. l. Postremo mirum est, neminem Virorum DD. caussam agere voluisse pronominis, quale illud exhibent Codd. et libri editi: *ille;* (in Guelf. datur: *illa.*) Quae rationescio an simplicissima certe ab facilitate commendetur. Utrum praestet legere *intervenit* an — *veniat*, de eo quum quaesitum sit, optimum rati sumus consistere in testimonio Cod. Guelf. — *felicissime* al. *ferocissime.* Iens. — *si quemdam.* Spald. ex *Guelf.* alii ex Tur. et Voss. 1. *quidem.* Gernh. Reliqui: *si quem.* Sunt qui perhorrescant *is*, quod facile intercidere potuit propter antecedens *velis*: sed *quemdam* necessario requirit quod dedimus *is erit.*

§. 97. *pondere, auct.* al. inserunt *et.* — *vindicare doctiorem.* Hanc lectionem recipere non dubitavimus pro vulgari: *videri.* Est codicis Guelf. facile enim verbi gravitas agnoscitur.

§. 98. *Graecarum.* al. *Graecorum.* — *ingenio temperare.* Haec vulgaris lectio. Plausum tulit a nonnullis codicis Turic. gratui-

Eorum quos viderim longe princeps *Pomponius Secundus*, quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac ni-
99 tore praestare confitebantur. In comoedia maxime claudicamus; licet Varro *Musas*, Aeli Stilonis sententia *Plautino* dicat *sermone locuturas fuisse*, *si Latine loqui vellent*; licet *Caecilium* veteres laudibus ferant; licet *Terenti scripta* ad Scipionem Africanum referantur: quae tamen sunt in hoc genere elegantissima et plus adhuc
100 habitura gratiae, si intra versus trimetros stetissent. Vix levem consequimur umbram, adeo ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem, quum eam ne Graeci quidem in alio genere linguae obtinuerint. Togatis excellit *Afranius*, utinamque non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus, mores suos fassus.

101 At non *historia* cesserit Graecis, nec opponere Thucydidi *Sallustium* verear, neque indignetur sibi Herodotus

tum quoddam donum: *operari*, praesertim quum infra legatur: *scholae operatum*. X, 3, 13. Sed alia prorsus ratio est *scholae*, *studiorum*, *sacrificiorum*, *superstitionum* et similium notionum, alia *ingenii*, cui quomodo quis *operetur*, facile quidem est ad intelligendum, sed num *proprie* dicatur, dubitatur. Habuimus etiam, si auctoritate aliqua opus est, nobiscum quondam consentientem virum, nescio an acutis simo quoque sagaciorem *Reisigium*: in quo quantum res publica literaria amiserit, dicent plenius, dolebunt acrius futura saecula. — *quem senes*. Frotsch. addidit *quidem* ex coniect. Spald. *parum tragicum*. In Iens. et Tarv. exaratum est: *Pindarum*, quod merito Spald. monstri nomine compellat.

§. 99. *Aeli Stil.* Spaldingio haud ineptum videbatur: *ex Ael.* At mihi tanquam probabilius in mentem incurrebat, num olim scriptum fuerit: *de L.* i. e. *Lucii Stil. sent.* Nam litera D in P mutatae exempla non ita rara; neque adeo infrequens permixtio literae L et I. In codd. vero Turic. et Flor. *epistilonis*. in Guelf. est: *elistelionis*. Verum quemadmodum *el* in *d* coaluere, ita etiam *d* in *e l* discindi poterat. Cfr. Drakenb. ad Liv. II, 16, 7.

§. 100. *quum eam*. al. *quando*. Sp. Sed nostr. codd. Flor. et Paris. 1. 2. Quibus accedunt Turic. et Camp. in quibus est: *quoniam*: nempe ex sequenti *eam* a librario contractum. Ceterum uti *quando* et *quoniam*, ita *quum* et *quoniam* saepissime inter se confusa esse docent exempla. Contra in Flor. pluribus locis datur *quando* pro *quoniam*, velut II, 10, 12. III, 1, 1. ubi cfr. Zumpt. in supplem.

§. 101. *cesserit*. Spald. *cesserim*, praeeunte Burm. suspicatur tamen: *cesserimus*, rectum casum, qui est in vulgata, improprium esse et languere affirmans. Verum recordare, quae supra leguntur §. 98. *Vari Thyestes*, *Ovidi Medea*. Alii: *histor. non.*

aequari *T. Livium*, quum in narrando mirae iucunditatis clarissimique candoris tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem: ita quae dicuntur omnia quum rebus tum personis accommodata sunt: affectus quidem, praecipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoque immortalem 102
illam Sallusti velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur *Servilius Nonianus*, pares eos magis quam similes: qui et ipse a nobis auditus est, elati vir ingenii et sententiis creber, sed minus pressus quam historiae auctoritas postulat. Quam 103
paulum aetate praecedens eum *Bassus Aufidius* egregie, utique in libris belli Germanici, praestitit, genere ipso probabilis in omnibus, sed in quibusdam suis ipse viribus minor. Superest et adhuc exornat aetatis nostrae glo- 104

ordine transposito. Adde quod supra legitur §. 31. et II, 4, 2. *historia tanto robustior, quanto verior.* — *neque indignetur.* al. *nec.* Obr. Gesn. In Camp. verba ita se excipiunt: *neque i. H. aeq. sibi.* — *ita quae.* al. *itaque;* et pro: *sunt*, quod infra, exhibent: *sed.* Obr. Gesn.

§. 102. *Sallusti.* al. *Sallustius.* Ienson. acc. Camp. et Turic. a sec. m. Sed pro *immort. ill.* in Guelf. *ill. im*, in codd. Tur. et Flor. et Alm. pronomen non legitur; unde Spald. suspicabatur emanasse ex *immortalem.* Sed mihi certe magis placeret: *ille.* — *Nonianus.* In hoc nomine uti in plerisque valde fluctuant codd. Complures exhibent: *Novianus.* Obr. Iens. et al. — *elati vir ingenii.* Ita Spald. ex coniect. acc. Fr. et Gernh. In codd. nonn. et mult. editt. est: *clarus ingénio.* In codd. Tur. et Flor. *clarius ingenii.* Unde colligere liceat, quum *clarior* supra §. 44. legatur in Goth. pro *elatior*, et quum saepenumero confundantur *altus* et *lutus*, scriptum fuisse a prima manu: *et alti vir ingenii.* Ferri enim vix potest ea notionum ac rerum oppositio, qualis est inter *elatum ingenium* et quod paullo post legitur: *pressus.* At contra *altum ingenium* idem fere est, quod *alta mens.* cfr. Prooem. VI, 7. Cui accedit, quod *elatus* magis ad *spiritum* sit, quam ad *ingenium.* In plerisque editt. est: *clari vir ingenii.* Obr. Gesn. — *creber.* al. *crebrior.*

§. 103. *suis ipse.* al. omittunt.

§. 104. *Superest* et *adhuc* etc. Locus mire depravatus, ac ne intellectus quidem, utpote ab ipso auctore consulto caligine obtectus. Sed tentemus aliquid medelae afferre. Ita pro *superest*, quod frigere videtur, propter sequentia: *aetatis nostrae* etc. ex cod. Tur. indiciis eruere malim: *superior ei est.* Ille enim a manu pr. *super eius.* Itaque intelligas: *laude superior.* Deinde cur recusemus: *ad hoc*, quod commendant Tur. et Flor. quum illud vulgare: *adhuc* paene otiosum sit? — *qui olim nom. nunc intell.* Frotsch. omissis prioribus, posteriora ita constituit: *cui*

riam vir saeculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec imitatores, ut libertas quamquam circumcisis quae dixisset ei nocuerit. Sed elatum abunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in his quae manent. Sunt et alii scriptores boni: sed nos genera degustamus, non bibliothecas excutimus.

105 *Oratores* vero vel praecipue Latinam eloquentiam parem facere Graecae possint. Nam *Ciceronem* cuicunque eorum fortiter opposuerim. Nec ignoro, quantam mihi concitem pugnam, quum praesertim non id sit propositi, ut eum *Demostheni* comparem hoc tempore: neque enim attinet, quum Demosthenem imprimis legen-
106 dum vel ediscendum potius putem. Quorum ego virtutes plerasque arbitror similes, consilium, ordinem dividendi, praeparandi, probandi rationem, denique quae sunt inventionis. In eloquendo est aliqua diversitas: densior ille, hic copiosior; ille concludit adstrictius, hic latius; pugnat ille acumine semper, hic frequenter et pondere; illic nihil detrahi potest, hic nihil adiici; curae plus in
107 illo, in hoc naturae. Salibus certe et commiseratione, quae duo plurimum in affectus valent, vincimus. Et

*intelligitur habenti amatores, nec immerito, remitti libertas.* Quam locutionem quominus veram et antiquam habeamus, prohibet et structurae ratio nimis artificiosa et sententia auctoris, quae nisi opinione decipimur, paene desideratur. Itaque non suademus, sed aliorum arbitrio subdimus haec: *Habent* (sic Turic.) *eum amatores, nec immerito, reum ut ei libertas*, quamquam circumcisis q. dix. *vel nocuerit.* — Nam de structura particulae *ut* nihil moror. cfr. Drakenb. ad Liv. V, 55, 5. neque displicet *vel*, quod est in Flor. et simul ita levatur suspicio, quam ad h. l. movit Zumpt. de ingenio scriptoris nostri. Sed quam exarari curavimus lectionem, ea est Spaldingii, a qua recedere noluimus, dum meliora exspectamus. Eadem Gesn. Obr. et nuper accessit Gernhard. Quod *Geel* pro: *vel nocuerit* legendum suspicatus est: *vela contraxerat*, id propter rei novitatem silentio praeterire noluimus. — *non bibl.* al. om. *non.* Iens. et al.

§. 105. *possint* al. *possunt.* Gesn. Obr. — *non sit* al. *id n. s.* Gesn. Obr. al. *n. s. i.* ex Flor. Spald. Fr. Nostrum ordinem servant praeter alios codd. Paris. 1. 2. — *inprimis* al. *in primis.* Fr.

§. 106. *dividendi* al. *videndi.* Iens. — *illic* — *hic.* Fr. ex Tur. Flor. Reliqui: *illi* — *huic.*

§. 107. *quae duo plur. in affectus.* al. *quae* — *in adfectibus.* Obr. Alii in quibus Sp. Fr. *qui duo* — *affectus.* Nostrum ex

fortasse epilogos illi mos civitatis abstulerit: sed et nobis illa, quae Attici mirantur, diversa Latini sermonis ratio minus permiserit. In epistolis quidem, quamquam sunt utriusque, dialogisve, quibus nihil ille, nulla contentio est: cedendum vero in hoc (quidem), quod (ille) et prior 108
fuit et ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit. Nam mihi videtur M. Tullius, quum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec vero 109
quod in quoque optimum fuit studio consecutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate. Non enim *pluvias*, ut ait Pindarus, *aquas colligit, sed vivo gurgite exundat*, dono quodam providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere 110
diligentius, movere vehementius potest? Cui tanta unquam iucunditas affuit? Ipsa illa, quae extorquet, impetrare eum credas, et quum transversum vi sua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Iam in omni- 111
bus, quae dicit, tanta auctoritas inest, ut dissentire pu-

Camp. adiuvante ipso Quinctil. IX, 1, 21. ubi verba haec: *frons, oculi, manus multum ad motum animorum valent. — quibus nihil ille.* Ita Spald. ex Tur. Flor. Omittunt Obr. Gesn. c. rel. *Ille* ex coniect. Sp. pro *illi* Codd. Tur. Flor. quamquam non adeo inepta videtur lectio *illi*, etiam si inseratur *in* quibus, quod probamus.

§. 108. *in hoc quidem.* al. om. *quidem.* Non improbo. — *ille.* Deest in multis Codd. et in Camp. Neque opus est repetito pronomine, quum antecedat: *illi*, et ex ipsa orationis serie intelligatur, qui sit.

§. 109. *sed plurimas vel pot. omn.* etc. al. *sed vel plur. ac pot. o.* Locat. et editt. ante Ald. — *ubertate.* al. *ubertas.* quod suadent antiquiss. codd. adversante, ni fallor, praeter illud *ipso*, orationis nexu. — *vires suas.* al. *virtutes.* Iens. et posterr. ante Ald.

§. 110. *cui tanta unquam.* Ex indiciis codd. Flor. et Tur. *alicui quanquam* Spald. coniiciebat olim scriptum fuisse: *aut cui.* Quid impediebat: *an alii cuiquam tanta iucunditas.* — *Ipsa illa.* al. praeponunt: *ut*, omisso signo interrogationis. Gesn. — *et quum.* al. *ut.* Frotsch. ex coniect. probante Zumpt. — *ferat.* al. *feriat.* Iens. et posterr. ante Ald.

§. 111. *dicit.* al. *dixit.* Camp. — *intentiss.* al. *et int.* Fr. ex Flor. Ferri non potest, nisi quis cogitet de *licet*, fortasse latente. — *illaborata.* al. *ut ill.* Obr. — *auditum.* al. *auditu.* Ita vulgo; sed illud restituit ex Tur. Flor. cui acced. Ambros. 2. Frotsch. Suspicabatur Spald. *qua nihil unquam pulchr. auditum.* Scilicet Tur. et Flor. insertum habent *quae* inter: *nihil pulch.*

deat: nec advocati studium, sed testis aut iudicis afferat fidem; quum interim haec omnia, quae vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata et illa, qua nihil pulchrius auditum est, oratio prae se
112 fert tamen felicissimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus aetatis suae *regnare in iudiciis* dictus est, apud posteros vero id consecutus, ut Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur. Hunc igitur spectemus: hoc propositum nobis sit exemplum: ille se
113 profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Multa in *Asinio Pollione* inventio, summa diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videatur: et consilii et animi satis: a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit saeculo prior. At *Messala* nitidus et candidus et quodammodo praeferens in dicendo nobilitatem suam;
114 viribus minor. *C.* vero *Caesar* si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur: tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen haec omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus
115 fuit, elegantia. Multum ingenii in *Coelio* et praecipue in accusando multa urbanitas dignusque vir, cui et mens melior et vita longior contigisset. Inveni qui *Calvum* praeferrent omnibus, inveni qui contra crederent eum

Ex quo equidem ego indicio mecum quis agnoscat velim sagacioris ingenii: *usque*; ita ut sit: *nihil pulchrius usque*, quod interpretari licet: inde ab illo continuis annis ad nostram aetatem. Cfr. Doederlein Synon. I. p. 14.

§. 112. *ab hominibus.* Optimi codd. exhibent: *omnibus.* Probaremus, nisi offenderemus in illo: *non immerito*: adnueremus, si esset: *prae omn.* — *id consecut.* inserunt al. *est.* Camp. Iens. — *nomen, sed eloq.* al. *sed el. n.*

§. 113. *inventio.* al. *invenio.* Iens. — *praeferens* al. *prae se ferens.* Gesn. al. Sed Spald. illud recepit ex Flor. et al. Codd. quibuscum consentiunt Paris. 1. 2.

§. 115. *qui contra.* al. *Ciceroni.* Sp. Fr. Nostrum est in Camp. et multis editt. antiq. Puto *Ciceronem* additum esse a glossatore. Illud pro certo habeo, *Ciceronem* maiore niti auctoritate quam *Ciceroni.* An fortasse olim legebatur: *qui praeferendum?* Cfr. §. 118. — *gravis.* al. *brevis.* Iens. et al. ante Ald. — *custodita* al. *castigata.* Obr. Gesn. al. Nostrum Sp. ex Tur. Flor. — *adiecturus sibi.* omittunt alii: *sibi.* —

nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse: sed est et sancta et gravis oratio et custodita et frequenter vehemens quoque. Imitator autem est Atticorum fecitque illi properata mors iniuriam, si quid adiecturus sibi, non si quid detracturus fuit. Et *Servius Sulpicius* insignem 116
non immerito famam tribus orationibus meruit. Multa, si cum iudicio legatur, dabit imitatione digna *Cassius Severus:* qui si ceteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adiecisset, ponendus inter praecipuos foret. Nam et ingenii plurimum est in eo et acerbitas mira, et 117
urbanitas eius summa; sed plus stomacho quam consilio dedit: praeterea ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est. Sunt alii multi diserti, quos persequi 118
longum est. Eorum quos viderim *Domitius Afer* et *Iulius Africanus* longe praestantissimi. Arte ille et toto genere dicendi praeferendus et quem in numero veterum locare non timeas: hic concitatior, sed in cura verborum nimius et compositione nonnunquam longior et translationibus parum modicus. Erant clara et nuper ingenia. 119
Nam et *Trachalus* plerumque sublimis et satis apertus fuit et quem velle optima crederes: auditus tamen maior.

§. 116. *et Serv. Sulp.* Ita Sp. acc. Gesn. Obr. In cod. Tur. aperte legitur: *sulpicius insignum fuit ut servius sulpicius insignem* etc. Inde fluxerunt, quae exhibent lens. Tarv. *insignis et S. S. insignem immerito f. t.* quibus *Locat.* et posterr. ante Ald. interposuere: *non imm.* Nobis prae ceteris placet: *insignem et S. S. non imm. fam.* quod Regius olim commendabat. — *colorem.* In cod. Flor. est: *calorem.* — *foret.* omitt. Tur. Flor. cum Almel.

§. 117. *et urbanitas eius summa.* al. *et vis* pro *eius.* In 4 codd. melioris notae: *et sermo.* Unde in mentem venit, num vera lectio olim fuerit haec: *et acerbitas mira et urbanitas; et sermonis vis summa.*

§. 118. *Sunt alii.* Ita Sp. ex Tur. Flor. alii inserunt vel *autem.* lens. vel *et.* Gesn. Obr. — *arte.* Sp. alii praemittunt: *verborum*; quod displicet, praesertim propter sequens: *cura verborum.* — *locare.* al. *habere;* et sic quidem plerique libri mscripti et editi. Spald. suspicabatur, in scriptura codd. Tur. Flor *vitare* fortasse latere: *citare* vel *recitare.* Nobis illud *habere* et antiquius et elegantius videtur: utcunque vero res habet, facilis erat permutatio verborum *habere* et *habitare* eaque frequens. Cfr. Drakenb. ad Liv. 38, 17, 11.

§. 119. *apertus.* In Cod. Tur. et Camp. *aptus.* — *decor.* al. *decora.* lens. et posterr. ante Bad.

Nam et vocis, quantam in nullo cognovi, felicitas et pronunciatio vel scenis suffectura et decor, omnia denique ei, quae sunt extra, superfuerunt. Et *Vibius Crispus* compositus et iucundus et delectationi natus: privatis ta-
120 men causis quam publicis melior. *Iulio Secundo* si longior contigisset aetas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret. Adiecisset enim atque adiiciebat ceteris virtutibus suis, quod desiderari potest: id est autem, ut esset multo magis pugnax et saepius ad
121 curam rerum ab elocutione respiceret. Ceterum interceptus quoque magnum sibi vindicat locum. Ea est facundia, tanta in explicando quod vellet gratia: tam candidum et leve et speciosum dicendi genus: tanta verborum, etiam quae assumta sunt, proprietas: tanta in quibusdam
122 ex periculo petitis significantia. Habebunt qui post nos de oratoribus scribent, magnam eos qui nunc vigent materiam vere laudandi. Sunt enim summa hodie, quibus illustratur forum, ingenia. Namque et consummati iam patroni veteribus aemulantur, et eos iuvenum ad optima tendentium imitatur ac sequitur industria.

123 Supersunt qui de *philosophia* scripserint: quo in ge-

§. 120. *pugnax.* Codd. Tur. Flor. cum Almel. dant: *pugnans.*

§. 121. *quod vellet* Ita Frotsch. in edit. poster. ex Tur. Reliqui: *velit.* — *et leve.* Iens. acc. codd. Flor. Guelf. al. Probat Gesner. renititur Spald. Adsentimur Gesnero, comparanti Graecorum λειότητα, cui opposita: *asperitas.* Spald. et Fr. retinuerunt: *lene.* Ad nobis id maxime momentum fecit, quod *virtutes tres enumerantur in sensus quasi incidentes:* cui quidem notioni magis conveniens est *levis.* Inde apparet *lene* dicendi genus adfine esse *nitido;* atqui huic *speciosum.* Deinde etiam quae sequuntur nostrae rationi favent. Nam supra V, 12, 18. Quinctil. haec eloquitur: illam vim stricte robusteque dicendi tenera quadam elocutionis cute operimus; et dum *levia* sint ac *nitida,* quantum valeant, nihil interesse arbitramur. Et infra XII, 10, 66. dum tertium illud dicendi genus, praeter *subtile* et *vehemens* describit, ita disserit: illud *lene* aut adscendit ad fortiora, aut ad tenuiora submittitur. — Quae quam alienae a *specioso* et *candido* sint notae, facile cuique manifestum erit. — Aliter statuit Frotsch. ad h. l.

§. 122. *materiam.* Frotsch. ex Flor. dedit *materiem.* Illam scilicet vocabuli formam Quinctiliano propriam fuisse et usitatam, praeter alia documenta, testatur consensus Codd. II, 19, 3. II, 19, 3. — *vere laudandi.* al. *laudanda.* Iens. Tarv. qui etiam inserunt *in* ante *eos.* Structura paullo contortior, nisi sit: *in iis.*

§. 123. *scripserint.* al. *scripserunt,* in quib. Obr. Gesn. —

nere paucissimos adhuc eloquentes literae Romanae tulerunt. Idem igitur *M. Tullius*, qui ubique, etiam in hoc opere Platonis aemulus exstitit. Egregius vero multoque quam in orationibus praestantior *Brutus* suffecit ponderi rerum: scias eum sentire quae dicit. Scripsit 124
non parum multa *Cornelius Celsus*, *Sextios* secutus, non sine cultu ac nitore. *Plautus* in Stoicis rerum cognitioni utilis. In Epicureis levis quidem, sed non iniucundus tamen auctor est *Catius*. Ex industria *Senecam* in omni 125
genere eloquentiae distuli, propter vulgatam falso de me opinionem, quia damnare eum et invisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora iudicia contendo. Tum autem solus hic fere in ma- 126
nibus adolescentium fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus praeferri non sinebam, quos ille non destiterat incessere, quum diversi sibi conscius generis placere se in dicendo posse, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis quam imitabantur: tantumque ab eo defluebant, quantum ille

*qui ubique.* Ita Spald. ex Flor. Guelf. et editt. prisc. alii: *qui ut ub.* Gesn. praeced. Camp. et al. — *ponderi.* Flor. Tur. cum Almel. *pondere.*

§. 124. *Sextios.* Ita ex auctor. Codd. praestantiss. al. *Scepticos.* Obr. Burm. Gesn. — *Plautus.* Sic Frotsch. ex vestigiis Codd. Tur. Flor. et praeeunt. Guelf. cum editt. Iens. al. Reliqui: *Plancus.* Obr. Gesn. Spald. Nostrum approb. Buttm. Zumpt. ad. h. l. *cognitioni.* Vulgo: *cognitione.* Sed Codd. Paris. 1. 2. 6. Goth. et Ambros. 2. nostram rationem tuentur. Praeterea editt. priorr. ante Stoer. excepta Basil Nihil obstat, quod infra §. 128. dictum est: *multa rerum cognitio*: nam id ipsum nostrae lectioni patrocinatur, quod simpliciter *rerum cognitio*, nullo adiecto Praedicato, memoratur. Itaque sententia eodem redit, quo supra §. 95. *plus scientiae collaturus, quam eloquentiae.*

§. 125. *in omni gen. eloq. distuli.* Editt. Ald. et Basil. addunt: *versatum dist.* Recte monuit Spald. tale quid et a sententia auctoris et a re ipsa alienum esse: etenim ipsa verbi *differre* notio quum per se spectata ambigua sit, verbis appositis: *in omn. gen. eloq.* accuratius definitur. Quodsi *Senecam* potissimum spectasset, excusationis gratia addendum erat *quamquam versatum* vel simile quid. — *quia.* al. *qua.* Obr. Gesn. Illud defendunt codd. vetust. et editt. — *severiora.* In paucis est: *severa.*

§. 126. *Tum autem.* al. *cum.* Camp. Iens. acc. Codd. Tur. Flor. al. Deest etiam, quod sequitur: *quem*, in Flor. et Camp. — *posse quibus.* Codd. complures inserunt: *in.* Ita Iens. al. Sed

127 ab antiquis descenderat. Foret enim aliquid (optandum) pares ac saltem proximos illi viro fieri. Sed placebat propter sola vitia, et ad ea se quisque dirigebat effingenda, quae poterat: deinde quum se iactaret eodem modo
128 dicere, Senecam infamabat. Cuius et multae alioquin et magnae virtutes fuerunt: ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multa rerum cognitio: in qua tamen aliquando ab his, quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est. Tractavit etiam omnem fere studiorum
129 materiam. Nam et orationes eius et poemata et epistolae et dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit. Multae in eo claraeque sententiae, multa etiam morum gratia legenda: sed in eloquendo corrupta pleraque atque eo perniciosis-
130 sima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nam si aliqua contemsisset, si parum non concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset: consensu potius eruditorum quam puerorum amore

nonn. *iis*. Ita Obr. Gesn. Arrisit nobis lectio Ambros. 2. *placere se iis dicendo*. — *ab eo*. al. *illo*. praeter Obr. Gesn. multi.

§. 127. *ac saltem*. vulgo legebatur: *aut s*. Sed optimi codd. consentiunt in *ac*, acc. editt. antiq. Quare secuti sumus Frotsch. qui in eo recessit a Spald. Ceterum nihil frequentius quam particularum illarum permixtio, recensum invenies exemplorum apud Drakenb. ad Liv. II, 53, 3. Id unum notandum est, post *enim* in Tur. Flor. et Alm. scriptum esse: *aliquid*: quo *alioqui* obtectum esse suspicabatur Spald. Verum id aegre ferendum crediderim, quum paullo infra sequatur idem vocabulum repetitum. Contra, si quid colligere licet, *aliquid* suum locum optimo iure tenebit; nam quid sit illud: *est aliquids*, cil. non contemnendum est, et usus docet et Gesneri Thes. exempla suppeditat. Quare si alterutram vocem eiiciendam censeas, *optandum* proiicias, tanquam glossatoris.

§ 128. *multa rerum*. Sic Spald. ex opt. codd. et editt. Camp. Basil. Reliqui, in quibus praeter Iens. a quo *et* praetermittitur Obr. Gesn. *multarum*. — *ab his*. al. *iis*. *omnem*. In nonn. *omnium*. — *feruntur*. al. *efferuntur*. Camp. Iens. al. Statim a Iens. additur: *et*. pro quo Regius suadebat: *etsi*. —

§. 129. *abundant*. In 2 codd. *abundat*.

§. 130. *eum*. Tur. Flor. et edit. Camp. *enim*. Haud spernendum, quamquam confusio haud infrequens. Cfr. Drakenb. ad Liv. 27, 17, 11. — *Nam si aliqua* etc. Locus a multis varie exagitatus. Pro *si aliqua* in nonn. codd. est; *si nil aequalium*; idemque in multis editt. post Iens. Quibus accedunt Paris. 1. 2. et idem reconditum agnosces in: *simile qua*, Paris. 6. et: *simile*

comprobaretur. Verum sic quoque iam robustis et seve- 131
riore genere satis firmatis legendus, vel ideo, quod exercere potest utrimque iudicium. Multa enim, ut dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt; eligere modo curae sit: quod utinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura, quae meliora vellet, quae quod voluit effecit.

*quam*, Ambros. 2. Unde suspicor, antiquitus scriptum fuisse: *si nonnihil aequalium cont.* Deinde post *parum* in multis codd. omissum est *non*, quod tuentur optimi codd. Tur. Flor. Guelf. Porro non dubitamus scribere: *parvum*; scilicet reprehenditur nimium totam quasi scientiae molem, qualiscunque suppetebat aequalibus, congerendi et coacervandi studium; unde transitus fit ad ea, quae suo ingenio debuisse fingitur Seneca. — Coniecturam, quam Zumpt. ad h. l adsensu suo commendavit: *partem* pro: *parum* amplecti nefas ducimus.

§. 131. *quae quod*. al. omittunt *quae* ex Tur. Flor. et al. Pro *effecit* nonn. *efficit*. lens. post Camp. Alm. et Tur.

# CAPVT II.

## DE IMITATIONE.

*I. Imitationem utilem et necessariam esse, nec tamen eatenus, ut per se ipsa sufficiat, sed ut plus et melius efficere conemur. II. Exactissimo iudicio in ea examinanda esse omnia et videndum, quos et quid in iis imitemur. III. Etiam vires consulendas esse. IV. Suo quidque loco esse imitandum et cavendum, ne uni nos generi vel scriptori dedamus. V. Imitationem non fieri tantum in verbis.*

1 I. Ex his ceterisque lectione dignis auctoribus et verborum sumenda copia est et varietas figurarum et componendi ratio: tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur *imitatione*. Nam ut invenire primum fuit estque praecipuum, sic ea, quae bene inventa sunt, 2 utile sequi. Atque omnis vitae ratio sic constat, ut quae probamus in aliis facere ipsi velimus. Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur: sic musici vocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur.

§. 1. Quae vulgo fertur *de imitatione* inscriptio, eius nullum in Codd. Tur. Flor. et in Camp. vestigium: reperitur in Guelf. Goth. et in omnib. editt. ante Gesn. qui omisit praeeunt. Obr. — *copia est et.* Verbum *est*, (uti passim, cfr. Drakenb. ad Liv. 37, 51, 3. a sequenti *et* intercipitur) in Tur. Flor. Goth. et Camp. lens. et posterr. ante Ald. non legitur. Sed quod Spalding. proposuit, pro *et verbor.* scribi posse *est*, nec Frotschero probabile visum est, et ipsi enunciationis concinnitati repugnat. Abesse potest salva sententiae gravitate, sed quae plus etiam infringitur verbo substantivo praeposito.

§. 2. *intuentur.* lens. et editt. ante Basil. *tuentur*, quod ferri non potest vel propter: *opera priorum.* De dictione *intueri in aliquem* cfr. Cic. de Orat. I, c. 2. *mihi in summos homines intuenti.* Id. de Univ. 10. *in speciem rerum intuens.* Liv. 40, 13, 4. *in hostiam — intuens.* Sensu paullo diverso dicitur: *intueri ad.* Cfr. Liv. 36, 45, 9. ibiq. Drakenb. — *initia.* Deest in Turic.

Omnis denique disciplinae initia ad propositum sibi praescriptum formari videmus. Et hercule necesse est aut 3
similes aut dissimiles bonis simus. Similem raro natura praestat, frequenter imitatio. Sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem omnium facit quam fuit iis, qui nihil quod sequerentur habuerunt, nisi caute et cum iudicio apprehenditur, nocet.

Ante omnia igitur imitatio per se ipsa non sufficit, 4
vel quia pigri est ingenii, contentum esse iis, quae sint ab aliis inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis, quae sine exemplo fuerunt, si homines nihil nisi quod iam cognovissent, faciendum sibi aut cogitandum putas-

Florent. Alm. Unde facile alicui subnasci possit suspicio, simpliciter olim scriptum fuisse: *omnis disciplinas*, nisi ob similitudinem syllabarum vocabuli antecedentis *initia* intercidere potuisse suam quemque ratio doceat. Num h. l. *initia* per metonymiam pro *tironibus* vel *discipulis* sumenda sint, et Frotscher. ad h. l. recte dubitavit, et hanc notionem h. l. non obtinere praeter alia Prooem. §. 5. docet: *nec ad ullius rei summam, nisi praecedentibus initiis perveniri potest;* et ipse dicendi usus hoc in genere sibi constat.

§. 3. *Et hercule.* Ita Spald. ex optimis Codd. Cfr. supra I, 86. in reliq. *hercle.* Obr. Gesn. De eo nunc quidem inter VV. DD. convenit, formam illam uberiorem vel latiorem magis accommodatam esse sermonis gravitati; ideoque historicorum dicendi generi ubique vindicandam. Cfr. Drakenb. ad Liv. 7, 11. in. breviorem et contractam et idoneam et peculiarem esse sermonibus familiaribus, veluti comicorum poëtarum. Cfr. Schneid. Element. l. l. p. 731. — *apprehenditur.* In Camp. et Paris. l. 2. 6. est: *apprehendatur.* Similis *Modorum* confusio praecedente *nisi* exagitatur a Cortio ad Sall. Cat. 20, 6. et a Drakenb. ad Liv. 2, 45, 13. A nostro loco Coniunctivus prorsus abhorret, quod vel tunc manifestum fiet, si quae h. l. sub conditione enunciantur, tanquam certa ac definita adfirmare libuerit, ita ut sit: *non nocet, si* vel *quum apprehenditur.* Ceterum post *rationem* multi inserunt: *rerum.* Obr. Gesn. Atque hanc vocem saepe perperam a librariis inculcatam esse Gronov. ad Liv. pluribus locis adnotavit. 4, 12, 6. Cfr. Spald. Tom. II, 448.

§. 4. *sufficit.* In Flor. a pr. m. datur: *suffecit*, ex quo Frotsch. coniicit: *suffecerit.* Quod si quis cogitet de Perfecto ἀοριστως posito, videat, ne ipsum illud obstet: *ante omnia.* Tota ratio est adfirmantis vel adeo simpliciter ponentis. — *quae sint.* Ita Spald. Fr. ex Tur. Flor. Reliq. *sunt;* in quib. Obr. Gesn. — *Quod iam.* In Tur. et Flor. mirum quoddam exhibetur: *imago.* Unde Burmann. eruit: *iam maiores*: contra monente Spald. Adde quod *homines* et *maiores* iuxta se positi offendunt. Quum satis amplum sit spatium coniecturarum, equidem aliorum iudicio subiicio: *agendo*; saepe enim literas *n* et *d* intercidisse vel id testimonio est, quod frequens est permutatio τοῦ *agedum* et

5 sent? Nempe nihil fuisset inventum. Cur igitur nefas est reperiri aliquid a nobis, quod ante non fuerit? An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc, ut tam multa generarent: nos ad quaerendum non eo ipso concitemur, quod certe scimus invenisse eos, qui quaesierunt?
6 Et quum illi, qui nullum cuiusquam rei habuerunt magistrum, plurima in posteros tradiderint, nobis usus aliarum rerum ad eruendas alias non proderit, sed nihil habebimus nisi beneficii alieni? quemadmodum quidam pictores in id solum student, ut describere tabulas mensuris ac lineis sciant. Turpe etiam illud est, contentum
7 esse id consequi, quod imiteris. Rursus, nam quid erat

*agendum*. De structura cfr. XII, 10, 54. praestantissimos oratores *alio* quam *scriptis* cognoscimus.

§. 5. *igitur*. lens. *ergo*. Cfr. Drakenb. ad Liv. 21, 14, 6. — *reperiri*. Tur. Flor. *reperire*. ex solemni generis confusione. Cfr. Daehne ad Caes. B. G. VII, 14. B. C. II, 27. — *an*. In Tur. et Alm. *tam*, scil. a praecedente litera; unde Camp. recepit *tamen*. Inde videre licet, unum errorem alterum post se trahere.

§. 6. *cuiusquam*. Guelf. et Camp. *cuiusque*. Qua confusione nihil frequentius; sed haesitavit Spald. in re decernenda; priorem rationem defendit Frotsch. Tironum gratia id moneo, *quisquam* ubivis ad mentem ita referri, ut subintelligatur graecae particulae *ἄν* singularis illa vis et potestas: pronomen *quisquam* ad genus *subiectivum*, ita dicere libet, *quisque* ad *obiectivum* pertinere. — *habuerunt*. In nonn. editt. lens. Tarv. *habuerint*; et paullo post: *tradiderunt* iidem cum Codd. Tur. Flor. Guelf. et Camp. adsentient. nunc Paris. 1. 2. 6. Miror, neminem recentiorum ad rationem lens. accedere voluisse. — *aliarum*. In Tur. Flor. est: *aliorum*. Edit. Locat. et posterr. multae habent: *illarum*. Cfr. Drakenb. ad Liv. 23, 7, 3. Sed omnia optime procedunt, et *aliae res* simul notionem includunt: *alieni auctoris*.

§. 7. *rursus nam*. Hunc ordinem unus servat Tur. quem secutus est Frotsch. nihil curante Spald. qui maluit vulgarem dicendi usum retinere. Monuit quidem Fr. ad h. l huius aetatis scriptores, quemadmodum passim usum poëtarum aemulari consueverant, ita etiam *nam* et *namque* secundo loco posuisse. Verum id magis accidisse particulae *namque* quam alteri illi exemplis comprobatur. Deinde Quinctilianus vocem *rursus* primo loco posuit IV, 5, 2. et 12. simili prorsus conditione, qua hic eam usurpavit. Apparet vero, *rursus* non tam respicere superiora, ita ut antea dictum in memoriam revocet, sed ut similem aliquam conditionem vel locum vel argumentum adnectat. cfr. 1, 10, 2. Unde coniecimus, *rursus* primum quidem locum merito obtinere, sed post interpungendum esse, ita ut verba a *nam* ad *sequebatur*, parenthesi intercepta cogitentur. Itaque referas adverbium ad §. 4. sed ita ut verba potissimum spectet: *nihil fuisset inventum*: cui dicto iam aliud quoddam simile subiungitur.

futurum, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur? — nihil in poetis supra *Livium Andronicum*, nihil in historiis supra *Pontificum annales* haberemus: ratibus adhuc navigaretur: non esset pictura nisi quae lineas modo extremas umbrae, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet. Ac si omnia percenseas, nulla sit ars, qualis 8
inventa est, nec intra initium stetit: nisi forte nostra potissimum tempora damnamus huius infelicitatis, ut nunc demum nihil crescat. Nihil autem crescit sola imitatione. Quodsi prioribus adiicere fas non est, quomodo sperare 9
possumus illum oratorem perfectum? quum in his, quos maximos adhuc novimus, nemo sit inventus, in quo nihil aut desideretur aut reprehendatur. Sed etiam qui summa non appetent contendere potius quam sequi debent. Nam qui agit, ut prior sit, forsitan etiam, si non 10
transierit, aequabit. Eum vero nemo potest aequare, cuius vestigiis sibi utique insistendum putat. Necesse est enim semper sit posterior qui sequitur. Adde quod plerumque facilius est plus facere quam idem. Tantam enim difficultatem habet similitudo, ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut non res simplicissimae quaeque

Cui maxime id favet, quod, nisi omnia fallunt, *rursus* in tali veluti exordio positum cum quadam animi ac sensus vehementia dictum videtur. *Nam* autem particula saepe in parenthesi adhibetur: statim infra §. 13. 27. — *navigaretur*. Ita Spald. ex opt. Codd. Vulgaris lectio: *navigaremus*.

§. 8. *nihil crescat*. Transposuit verba Spald. post eum Fr. sed ratione aliquanto leviore. Itaque satius habuimus servare priscum ordinem, qui omnium est Codd. — Pro *autem* cresc. Codd. nonn. et editt. dant: *enim*. Illud longe firmioribus nititur testibus; atque eius usus vel maxime est tum in parenthesi, tum in enunciationibus subiunctis, quarum conditio ea est, ut adsensum deesse non posse ponamus. Itaque particula non tam est *adversativi* generis quam *adfirmantis* et ad superiora *adstruentis*.

§. 9. *illum oratorem*. Mutarunt pronomen in: *ullum*. lens. Obr. et priorr. multi ante Basil. et pro *possumus* substituerunt: *possimus* lens. et qui eum secuti. — *in his*. Sic Spald. ex Tur. Flor. Guelf. Reliqui: *iis*. Obr. Gesn. Nostro loco vel opposita ratio pronominum *illum — his* quid verum sit prodit. — *appetent*. Lectionem ex consensu complurium Codd. melioris notae quibus nunc adstipulantur Paris. 1. 2. Ambr. 2. recepit Frotsch. pro vulgari: *appetunt*. Scilicet latet sub illo Futuro notio: *quum debeant*; at *deficit animus et voluntas*.

§. 10. *evaluerit*. lens. cum editt. posterr. *valuerit*. Ita pas-

pares maxime videantur, utique discrimine aliquo discer-
11 nantur. Adde quod quidquid alteri simile est necesse est minus sit eo, quod imitatur, ut umbra corpore et imago facie et actus histrionum veris affectibus. Quod in orationibus quoque evenit. Namque eis, quae in exemplum assumimus, subest natura et vera vis: contra omnis imitatio ficta est et ad alienum propositum accommodatur. Quo fit, ut minus sanguinis ac virium declamationes habeant quam orationes; quia in illis vera, in his assimu-
12 lata materia est. Adde quod ea, quae in oratore maxi-

sim *e* in verbis compositis excidit, veluti in *evenire*, *effusus*, *evagari*, *eloqui*. Vid. Drakenb. ad Liv. 41, 7, 10. Idem nostro verbo accidit II, 8, 5. ubi leguntur: *quod et adiuta cura natura magis evalescat:* in Goth. *valescat.* — *simplicissimae.* Sic Spald. ex Tur. Flor. et multis editt. vett. pro vulgari: *simillimae.* Iens. Obr. Gesn. alii, qui fere omnes exc. Obr. nihil dant nisi: *quae simillimae videantur;* nempe *simillimae* et *quae pares maxime vid.* iuxta positae tolerari non possunt nisi quis Quinctilianum dormitasse coarguat. Deinde pro *discernantur* apud Obrecht. exaratum est: *dissocientur*, quod reperitur in Turic. a sec. m. pro: *disnantur.* In Flor. datur: *desinantur.* Unde Spalding. coniiciebat: *distineantur.* Malim: *distinguantur*, vel quod aliquanto simplicius quodque propius accedit ad ista notarum compendia: *definiantur.*

§. 11. *nec. est minus sit.* In Camp. et apud Obr. *est esse minus.* At id vere nimium est. — *orationibus.* In Voss. 1. 2. *oratione*; in edit. Gryph. *oratoribus.* — *eis.* al. vel *his.* vel *iis.* Attendant tirones quam diligenter respexerint antiqui scriptores tum ad aurium sensum, tum ad discrimen verborum: nimirum forma *eis* maxime ad *sequentia* spectat, et simpliciter usurpatur ita ut cum appositis verbum *unum* efficiat *subiectum* vel *obiectum*; *iis* vel retrospicit vel ubi cum aliis appositis coniunctum est, discerni potest veluti Subiectum a Praedicato. — *imitatio ficta.* Quod in Codd. Tur. Flor. reperitur facta respuerunt editt. recent. aetatis; neque vero damnare licet Spaldingium, cui hunc locum secum reputanti scrupulum iniecisse videtur illud: *poëtae nascuntur*, *non fiunt.* Simile permutationis exemplum exhibet Liv. 40, 12, 7. — *quo fit.* In Codd. Tur. Flor. et in Camp. est: *quod facit.* Quae quidem verba Frotsch. arctissime coniunxit cum antecedenti *accommodatur*, ita ut subiectum sit: *imitatio*; atque deinceps pro *habeant*, recepit: *habent.* Nobis contra probabilior ratio videbatur, qua verba idem significare crederentur, quod vulgaria: *quo fit; in causa est.* — *quia.* al. *quod.* Frotsch. dat *quoniam*, quod occultum putabat sub *quam*; ita enim in Flor. et Tur. cum Alm. — *assimulata.* al. *dissimulata.*

§. 12. *in oratore.* Iens. et post eum omnes editt. ante Ald. dant: *oratione.* Cfr. §. 11. — *inventionis vis.* Abstinere non potui, quin hanc lectionem reciperem, quae cum Codd. Tur. Flor quibus alii multi et libri MSS. et excus. conspirant, auctoritate certe

ma sunt, imitabilia non sunt, *ingenium*, *inventionis vis*, *facilitas* et quidquid arte non traditur. Ideo plerique, 13
quum verba ex orationibus excerpserunt aut aliquos compositionis certos pedes, mire a se quae legerunt effingi arbitrantur: quum et verba intercidant invalescantque temporibus (ut quorum certissima sit regula in consuetudine) eaque non sua natura sint bona aut mala, (nam per se soni tantum sunt), sed prout opportune proprieque aut secus collocata sunt, et compositio quum rebus accommodata sit tum ipsa varietate gratissima.

II. Quapropter exactissimo iudicio circa hanc par- 14
tem studiorum examinanda sunt omnia. Primum, quos imitemur: nam sunt plurimi, qui similitudinem pessimi cuiusque et corruptissimi concupierunt: tum in ipsis, quos elegerimus, quid sit, ad quod nos efficiendum compare-

ex parte defenditur. Ibi enim est: *inventionis*. At facile *vis* a tali vicinia intercipi potuit. Accedit, quod *vis* raro ac paene nusquam simpliciter usurpatur; ubique fere additur casus Subiecti; veluti *vis dicendi*, *inventionis* §. 16. supra c. 1, 83. *inventionum acumen*. Deinde ipsa etiam *facilitas* referatur necesse est ad certam aliquam vel animi vel corporis facultatem. Atqui laudatur ipsa *inventionis facilitas*, *oris* etc. — Reliqui enim loci fere omnes eiusmodi sunt, ex quibus singularis quaedam *facilitas* vel *vis* intelligatur. Cfr. §. 25. et supra 1, 1. et si qua *facilitas* simpliciter dicitur, *morum* est. XI, 1, 42. humanitas, facilitas. Adde Sall. Cat. 54, 3 et 4., et quod *inventio* proprie artis est ac disciplinae, *inventionis vis* et *acumen* hominis, qui naturam habuit fautricem. Postremo, si consideres quae sint *maxima* in oratore, ipsa rerum natura sententiam nostram adiuvare videatur.

§. 13. *ideo*. al. *ideoque*. Obr. Gesn. et longe plurimi priorr. — *verba*. Inserunt plerique: *quaedam;* et pro *legerunt* in permultis est: *elegerunt*; quod unde exortum sit, quisque videt: accedit quod iteratio eiusdem notionis quae inest verbis *excerpere* — *eligere* contra venustatem est; et quod summum, lectionis fructus hic commemorantur.

§. 14. *concupierunt*. al. *concupierint:* et ita quidem plurimi. Obr. Gesn. Similis locus IV, 3, 16. *sed plurima sunt, quae rebus nihil secum cohaerentibus inferuntur*; ubi eadem lectionis varietas. At nostro certe loco nulla potest esse dubitatio. — *tum* al. *deinde*. Obr. Gesn. Ortum est illud vitium ex scripturae compendio; cuius exempla reperies apud Drakenb. ad Liv. 2, 21. in. Nam ex *tū* i. e. *tum* facile aliquis labi poterat ad *in̄* i. e. *inde*; et ab hoc levis erat transitus ad *deinde*. — *ad quod*. In nonn. bonis Codd. deest: *ad;* quibus acced. Paris. 1. 2. 6. in paucis pro *nos* est: *nobis*; denique ordine inverso exhibetur: *eff. nos*.

15 mus. Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa et a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa: atque utinam tam bona imitantes dicerent melius quam mala peius dicant. Nec vero saltem iis, quibus ad evitanda vitia iudicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere et solam, ut sic dixerim, cutem vel potius illas Epicuri figuras, quas e summis corporibus dicit effluere.
16 Hoc autem his accidit, qui non introspectis penitus virtutibus ad primum se velut aspectum orationis aptarunt, et quum iis felicissime cessit imitatio, verbis atque numeris sunt non multum differentes, vim dicendi atque inventionis non assequuntur, sed plerumque declinant in peius et

§. 15. *in magnis.* Abest *in* a Guelf. — *imitantes.* Quod in Flor. a pr. m. scriptum legitur: *imitandos*, equidem exortum crediderim ab errore librarii auribus non ita arrectis verba dictantis calamo excipientis. Ex eodem fonte plura eiusmodi vitia et errata emanasse pro certo habendum est. — *dicant.* Sic Frotsch. ex opt. codd. et editt. adsent. nunc etiam Paris. 1. 6. Ambr. 2. Recepit etiam nuper Gernhard. Ratio haud dubie in eo sita est, quod illa *optantis conditio*, quam significat *utinam*, non magis ad prius quam ad posterius enunciationis membrum pertinet. Alia erat ratio, addita particula: *nunc;* veluti in loco Cic. ad Attic. 4, 16. *utinam tam facile vera invenire possem, quam falsa convincere.* — *sic dixerim.* Omittunt *sic* Codd. Tur. Flor. Guelf. cum Camp. et praeterea Voss. 1. 3. Nescio an id consulto factum sit.

§. 16. *his accid.* al. *iis.* Obr. Gesn. et plerique priorr. Contra quod infra statim sequitur *iis* in Guelf. Camp. et Basil. permutatur cum *his:* quod quidem posteriore loco tolerari non potest; nam Pronomen pertinet ad supra commemoratos atque tota sententia est *iudicantis.* Iuvabit vero in mentem revocare quae de frequenti horum pronominum confusione monuit Wolf. in Anall. Litt. I, 2. p. 289. et Priscian. XVII, 9, 58. qui praecipit: *hic non solum de praesente, verum etiam de absente possumus dicere, ad intellectum referentes demonstrationem.* Itaque quoties res qualiscunque quamquam nonnisi mente et cogitatione comprehensa tanquam in praesenti et veluti ante oculos posita describitur vel significatur, id quod vel maxime fit in *rebus* ac *personis*, quae vere sunt, quas novimus, quibuscum nobis intercessit communio et familiaritas, tunc pronomini *hic* locus est. Unde consequens est, quod experientia docet ab antiquis scriptoribus observatum esse, ut pronomen *hic* componatur vel cum praesenti vel perfecto tempore. Cfr. *Kritz* ad Sall. Cat. 2, 4. qui virorum DD. hac de re sententias diligenter composuit. — *imitatio verbis.* Ita Spald. ex opt. Codd. et editt. vett. Reliqui interponunt: *qui.* Obr. Gesn. — *laetis corrupti, compositis exult.* Exstitit nuper vir doctus, qui *aciem*, ut ita dicam, immutandam esse statueret, ita ut opponerentur *laetis exsult.* et *compositis corrupti.* Refellit eum Zumpt.

proxima virtutibns vitia comprehendunt, fiuntque pro *grandibus tumidi*, *pressis exiles*, *fortibus temerarii*, *laetis corrupti*, *compositis exultantes*, *simplicibus negligentes*. Ideoque qui horride atque incomposite quid, licet 17
illud frigidum et inane, extulerunt, antiquis se pares credunt: qui carent cultu atque sententiis, Atticis scilicet: qui praecisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant: tristes ac ieiuni Pollionem aemulantur: otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, iurant ita Ciceronem locuturum fuisse. Noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud coelestis huius in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent *Esse videatur*. Ergo primum est, ut quod 18
imitaturus est quisque, intelligat et quare bonum sit sciat.

III. Tum in suscipiendo onere consulat suas vires. 19
Nam quaedam sunt imitabilia, quibus aut infirmitas natu-

§. 17. *quid licet*. Ex Flor. Goth. post Gesn. et Bip. Spalding. dedit pro: *quam libet*, quum in plerisque libris editt. sit *quidlibet*. In Camp. *quam licet*. Verum quum Tur. exhibeat: *qui licet*, a sec. m. *quid licet*, vero propius accessisse videbamur, recipientes quae naturali quadam facilitate commendarentur. Ita Quinctil. IV, 2, 83. ordine quo *quid* actum sit. ibid. quum *quid* utiliore loco reducimus. VIII, 3, 8. in quo mihi *quis* ostenderit. — In aliis verba *illud frigid.* transposita leguntur: *frig. ill.* Obr. Gesn. — Explicant illud *quam libet*, ut sit *quamvis*, *quantum libet*; sed non dubitamus quin *illud* ad aliquid referendum sit quod antecesserit, quamquam diserto nomine non definitum, ut scriptoris sententia eo redeat: *quidquid elegerunt*, *frigidum est*. Quo duplex vitium significatur, et in *materia* s. *re* et *dicendi genere* conspicuum: scilicet carent isti scriptores sensu pulchri ac venusti. — *extulerunt*. al. *extulerint*. Iens. et post eum plur. Pariter infra pro *circumduxerunt* in Camp. est: — *duxerint*. — *Atticis scilicet*. In tres potissimum abierunt partes homines critici: alii statuunt legendum esse: *Atticos* scil. ita ut Accusativ. pendeat a seq. verbo: *superant*. Obr. alii praeferunt: *Attici scil.* Ita Codd. Guelf. Voss. 1. 3. Bern. Denique Frotsch. coniecturam Spaldingii approbans, recepit: *Attici sunt scilicet*. At non *sunt* sed speciem praeferunt, ac tales haberi volunt.

§. 19. *imitabilia*. Ita Spald. ex Tur. Guelf. Goth. et editt. ante Ald. in reliq. (etiam Camp.) est: *inimitabilia*. Obr. Gesn. a quibus nunc etiam stat Zumpt. qui se crisin Spaldingianam mirari non dissimulavit. Sed ut taceam, quae contra monuit Gernhard. ad. h. l. in Addend. p. 603. quem consulas, sunt alia quaedam in promtu, quibus sententia Spalding. confirmetur: Nam primum modo ab auctore disputatum est, quam necesse

rae non sufficiat aut diversitas repugnet. Ne, cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis et vim suam perdat et elegantiam quam cupit non assequatur. Nihil est
20 enim tam indecens quam quum mollia dure fiunt. Atque ego illi praeceptori, quem instituebam in libro secundo, credidi non ea sola docenda esse, ad quae quemque discipulorum natura compositum videret. Et adiuvare debet quae in quoque eorum invenit bona, et quantum fieri potest adiicere quae desunt, et emendare quaedam et mutare. Rector enim est alienorum ingeniorum atque
21 formator. Difficilius est naturam suam fingere. Sed ne ille quidem doctor, quamquam omnia, quae recta sunt, velit esse in suis auditoribus quam plenissima, in eo tamen, cui naturam obstare viderit, laborabit.

sit, *ut quod imitaturus est quisque intelligat, quare imitatione dignum sit.* Iam vero ad aliud quid aeque necessarium pergit, ut *suas quisque vires consulat*: omnia scil. illa, quae exempli loco infra recensentur, *imitabilia* sunt, verum non omnibus: propterea quod quum duo faciunt idem, non est idem. Tertio ex *ipso verborum ordine* colligi posse arbitror, sententiae gravitatem ac rei pondus non inesse in voce *imitabilia*, sed in *quaedam sunt*, quod quidem verbum hic respondet Franco Gallico: *il ya*, sic ut *quaedam imitabilia* expleant tantummodo notionem *Subiecti*; Praedicatum quod dicunt situm est in verbo *sunt*. Postremo *imitabilis* et totum illud genus Adiectivorum *similitudinem* et *opportunitatem* indicat, non *legem*, qua quis alterutri officio obstringatur. His adiicere licet; quodsi quis persistat in voce *inimitabilia*, ei quoque legendum esse: *sufficit — repugnat.* Cur ita fieri debeat, explicatione non eget. Similis discrepantia viror. dd. Caes. B. C. III, 8. utrum *indiligentia* an *diligent.* melius habeat. — *ne cui.* Ita Spald. ex opt. Codd. Vulgaris lect. *nec cui.* Obr. Gesn. — *assequatur.* Multi: *perseq.* — *dure fiunt.* Sic Spald. ex auctoritate optt. Codd. quibuscum nunc faciunt Paris. 2. 6. Ambr. 2. al. *dura f.* vel: *durescunt.*

§. 20. *instituebam.* Spald. post Camp. Obr. cum Tur. Flor. Vulg. *institueram.* — *in.* Deest in Voss. 1. 3. a littera antecedent. intercept. — *credidi.* al. *tradidi.* Obr. Gesn. Id factum est ex permutatione haud infrequenti. Cfr. Duker. ad Liv 10, 6, 14. Burm. ad Ovid. Met. 2, 378. Drakenb. ad Sil. 16, 371. — *invenit.* Ne mireris in plerisque editt. esse: *invenerit.* Nostrum tuentur opt. Codd. Pertinent huc quae disseruerunt Ramsh. §. 174. p. 497. Stallb. ad Rudd. II, p. 347. Görenz ad Cic. Fin. IV. §. 67. — Pro *difficilius* in Camp. *difficile.* Ita saepe Positivus cum Comparativo a librariis commutat. cfr. supra 1, 1. et 102.

§. 21. *in illis operib.* Ita Spald. consent. opt. Codd. et vett.

IV. Id quoque vitandum, in quo magna pars errat, ne in oratione poetas nobis et historicos, in illis operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. Sua cui- 22
que proposita lex, suus cuique decor est. Nam neque comoedia in cothurnos assurgit nec contra tragoedia socculo ingreditur. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune: imitemur quod commune est. Etiam hoc 23
solet incommodi accidere eis, qui se uni alicui generi de-

editt. Vulgo: *illorum*. Obr. Gesn. Sic Caes. B. C. III, 96. pro: *paucos suos*, vulgar. lect. *suorum*. Cfr. Kritz ad Sall. Cat. 3. extr.

§. 22. *Nam neque comoedia in cothurnos assurgit.* Ne multi simus in recensendis viror. doctor. opinionibus, primum adnotamus, Spalding. maximam partem ex coniectura locum ita constituisse ut haberet: *nam com. non cothurnis assurgit;* at omnes Codd. et editt. quantum scimus, praeter Tur. Flor. et Camp. tuentur *cothurnos*. Deinde pro *socculo*, quod est in Tur. et Argentoratens. Obr. reliqui dant: *socco*. Porro Frotsch. veram lectionem esse censuit: *com.* (in) *cothurnis assurgit*, ita ut non multum abesset, quin exulem faceret praepositionem. Verum ut adsensum cohiberemus impulit tum plurimorum librorum auctoritas, tum quae innumeris locis detecta est literarum permutatio, postremo, quod summum est, ipsa verbi *assurgere* notio; quae quum eiusmodi sit, ut vel simpliciter verbum ponatur, vel, ubi additur regio s. pars, quo quis assurgendo tendit, praepositio *in* sequenti Accusativo usurpetur, totus hic locus nihil dubitationis habere videtur, quin verum ac genuinum esse statuamus. Ita Tacit. Hist. IV, 23. in. *Pars castrorum, in collem leniter assurgens.* Vellei. II. 51, 3. *Hispanus in triumphum et pontificatum assurgeret.* Itaque lepida quadam imagine nobis describitur actionum ac personarum veluti discrepantia, quarum altera humiliuris conditionis ad altiora escendere fingitur, altera illustri loco nata sordido vestitu incedit. Ideo etiam dicitur *assurgere in cothurnos*. Ceterum de structura eadem fere solet esse viror. dd. disceptatio ubi quaeritur, quid rectius habeat: exponere *in terra* an *in terram*. Cfr. Interprett. ad Caes. B. C. III, 23. 103. Rationem illam, quam ad vers. german. p. 151. pluribus defendere conati sumus, nunc quidem non tam aspernamur, quam utique infirmiorem missam fecimus. — *Habet tamen.* In Camp. *hab. enim* Fieri potuit descensus per hos veluti gradus: *tamen* saepenumero commutabatur in *tum;* unde quomodo existere potuit *enim* adnotavit Bentley ad Horat. Satir. II, 3, 132. scil. *enim* scribebatur nota: *ñ*; ac *tum* per *tū*, unde saepe: *tamen;* veluti infra §. 26. 27. Cfr. Daehne ad B. C. I, 44.

§. 23. *eis.* Similis paene conditio est qualis supra §. 16. Sed nostrum tuentur Tur. et Flor. Reliqui: *iis;* in paucis: *his.* — *asperitas iis.* al. *his.* Obr. Gesn. et plurimi priorr. — *ac iucunditas.* al. *aut nuditas.* Obr. Gesn. Nostrum dant Tur. Flor. Camp. Praeterea adiuvat ipsa illa *asperitas*, cui opposita est *iucundit.* — *singulis.* al. *similibus*, sed una edit. Tarv. — *dicenda.* Corruperunt librarii atque effinxerunt: *dicent.* Ita in multis editt. inde a Iens.

diderunt, ut si asperitas iis placuit alicuius, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere non exuant: si tenuitas ac iucunditas, in asperis gravibusque causis ponderi rerum parum respondeant: quum sit diversa non causarum modo inter ipsas conditio, sed in singulis etiam causis partium; sintque alia leniter, alia aspere, alia concitate, alia remisse, alia docendi, alia movendi gratia dicenda: quorum omnium dissimilis atque divisa inter se
24 ratio est. Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui proprie, quem per omnia sequatur, addicere. Omnium perfectissimus Graecorum *Demosthenes*: aliquid tamen aliquo loco melius alii: plurima ille. Sed non qui maxi-
25 me imitandus et solus imitandus est. Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo *M. Tullius* dixit? Mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen noceret vim *Caesaris*, asperitatem *Coeli*, diligen-

— *divisa*. Sic Spald. ex Tur. Flor. cum Alm. Vulgar. lect. *diversa*. Saepe haec vocabula in scriptis commutata. Exempla attulerunt Drakenb. ad Liv X, 33. extr. Burm. ad Ovid. Ep. 12.

§. 24. *suaserim, uni se alicui proprie, quem — sequatur, addicere*. Primum pro *addicere* nonn. exhibent: *adiicere*. Guelf. Goth. ex editt. Camp. Iens. Tarv. Factum est ex frequenti librariorum negligentia. Drakenb. ad Liv. IV, 8, 5, Scribebatur enim ex more solemni *adicere* pro *adiic.* inde facilis permutatio, cui adfinis est verbi *adigere* Daehne ad Caes. B. G. IV, 23. Deinde Codd. Tur. et Flor. dant vel *suaserimus* (Tur. et Camp.) vel *suaserim non uni al.* Unde Spald. colligit, antiquitus fuisse: *se uni aliquem*. Sed aliam quoque medelam adfert: *uni nos alicui quem — sequamur*. Quod ita probo ut velim: *suaserim nos* (persaepe enim *nos* et *non* confusum Drakenb. Liv. 3, 9, 5. Daehne et Held ad B. C. 1, 69.) *uni* alicui — *sequamur*. Ita facile explicari potest, qui factum sit ut *suaserimus* a librario scriberetur: scilicet ipsa oris volubilitas, verba pronunciando veluti conglutinantis id efficere potuit; vel si id oculorum lapsu accidisse cogites: at *non* et *nos* similem paene speciem repraesentant. Nam *sequatur* interpretari ἀπὸ κοινοῦ, quum quo referatur proprie non habeat, recte durius id fieri iudicavit Spalding. — *omnium perf.* In multis editt. *longe omn. perf.* Sic Camp. et posteriorr. cum Goth. et Voss. 2. (acced. Par. 1, 6. teste Zumpt. ad h. l.) Reliqui, in quib. Obr. Gesn. omittunt *omnium* et simpliciter exhibent: *longe perfect.* Nostrum Spald. ex Flor. (in Turic. et Almel. *omnem*. Equidem putaverim scriptore nostro haud indignum esse: *Omnium longe perf.* Quem enim librariorum tantum Demostheni laudis cumulum addidisse credibile est? — *et solus* al. *etiam*. Praeter al. post Basil. Obr. Gesn.

§. 25. *noceret*. Spald. ex opt. codd. et editt. vett. Reliqui: *nocet*. Obr. Gesn.

tiam *Pollionis*, iudicium *Calvi* quibusdam in locis assumere? Nam praeter id quod prudentis est, quod in quo- 26
que optimum est, si possit, suum facere: tum in tanta rei difficultate unum intuentes vix aliqua pars sequitur. Ideoque quum totum exprimere quem elegeris paene sit homini inconcessum: plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio haereat, et quod cuique loco conveniat aptemus.

V. Imitatio autem (nam saepius idem dicam) non 27
sit tantum in verbis. Illuc intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque personis, quod consilium, quae dispositio, quam omnia, etiam quae delectationi videantur data, ad victoriam spectent: quid agatur prooemio, quae ratio et quam varia narrandi, quae vis probandi ac refellendi, quanta in affectibus omnis generis movendis scientia, quamque laus ipsa popularis utilitatis gratia assumta: quae tum est pulcherrima, quum sequitur, non quum arcessitur. Haec si perviderimus, tum vere imitabimur. Qui vero etiam propria his bona 28

§. 26. *quod cuique loco*: Ita opt. codd. a quibus etiam Par. 2. [illegible]ui: *quo quidque loco*. Obr. Gesn. adsent. Guelf. Vidimus nihil horum pronominum confusione in libris frequentius obvenire.

§. 27. *intendenda — mens*. In Flor. *intendamus:* inde factum est, quod litera *n* linea supra scripta indicabatur: quare Alm. *intendamus*. — *quamque* Iens. Obr. al. *quanta que*. — *perviderimus*. Magna ubivis praepositt. *per, prae, pro* in verbis compositt. confusio. Alii dant: *praevid.* Iens. Obr. al. In Goth. quem nemo secutus est: *provid.* Verum Quinctil. frequens est in hoc verbo. I, 1, 3. *hoc qui perviderit*, ubi similes errores librariorum a Zumptio recensentur, sed ipsum illud *veram* lectionem prodit, quod in nonn. scriptum est: *quippe viderit.*

§. 28. *deerant*. Genslero post Francium suadenti: *deerunt*, adsentitur Gernhard. At nobis bene habere videtur, est enim: quae *deesse* animadvertebat: semper ante oculos propositum cogitetur exemplum, in quo licet perfectissimo nonnulla desiderantur. Noli itaque nimium quid tribuere momenti illi: *redundabit*; nam alia prorsus est enunciationis ratio; dixit enim haec scriptor cum conditione, illa simpliciter. Ita supra §. 20. adiicere quae *desunt*. — *oporteat*. Spald. ex Tur. Flor. Camp. Reliqui: *oportebat*. Cfr. Daehne ad Caes. B. G. VII, 66. B. C. III, 69. Genslerum proponentem: *oportebit*, refutavit Frotsch. Illud *oportebat consummari* ne inepti aliquid et absoni edicat vereor. — *supersunt*. Hanc lectionem, quamquam dissuadente Spald. recepimus, quum particula

adiecerit, ut suppleat quae deerant, circumcidat, si quid redundabit; is erit quem quaerimus, perfectus orator: quem nunc consummari potissimum oporteat, quum tanto plura exempla bene dicendi supersunt quam illis, qui adhuc summi sunt, contigerunt. Nam erit haec quoque laus eorum, ut priores superasse, posteros docuisse dicantur.

aeque h. l. sit *causalis* ac *temporalis*, et Codd. gravioris dignitatis in Indicativo tuendo consentiant. Praeter Guelf. nunc Paris. 1. 2. 6. Ambr. 2. — *plura*. Frotscher. uti supra I, 45. *plurima* substituit ex Codd. Tur. Flor. et Camp. Eiusd. sententiae est Gernh. Nolumus tantorum virorum iudicia impugnare, duo tantum contra monere liceat; *plurima*, fortasse originem suam debere formae illi priscae: *pluria*, a qua non abstinuerunt certe antiquiores. Cfr. Priscian. III, 2, 9. p. 109. I. edit. Krehl. Alterum tacere non possum, si quae sit Graecae linguae in simili conditione consuetudo, respicio: ferri posse *plurima*, dummodo sequatur — *nulla*, vel alia quaedam vox cui comparetur *plurima;* veluti Demosth. Olynth. p. 21, 22. ὅσῳ γὰρ ἑτοιμότατ' αὐτῷ δοκοῦμεν χρῆσθαι, τοσούτῳ μᾶλλον ἀπιστοῦσι πάντες αὐτῷ. Cfr. Matth. Grammat. gr. mai. §. 462. et supra §. 3. *tanto faciliorem etc.* — *contigerunt.* Iens. cum multis ante Ald. *contigerit:* al. *contigerant:* nihil hoc crebrius in MSS. Cfr. Daehne ad Caes. B. G. VI, 42. VIII, 2. B. C. I, 87.

# CAPVT III.

## QVOMODO SCRIBENDVM SIT.

*I. De utilitate scribendi. II. De ratione, quia id fieri oporteat. III. Non dictandum esse. IV. Qui loeus et quod tempus maxime conveniant ad scribendum. Repugnandum tamen interdum et temporis et loci incommodis. V. Ceris optime scribi.*

I. Et haec quidem auxilia extrinsecus adhibentur: in iis 1
autem quae nobis ipsis paranda sunt, ut laboris sic utilitatis etiam longe plurimum affert *stilus*. Nec immerito M. Tullius hunc *optimum effectorem ac magistrum dicendi* vocavit. Cui sententiae personam L. Crassi in disputationibus, quae sunt de oratore, assignando iudicium suum cum illius auctoritate coniunxit. Scribendum ergo 2

1. Inscriptionem variam ostendunt Codd. In Guelf. et edit. mult. ante Gesn. qui perinde atque Obr. nullam dedit, ea est, quam praeposuimus; in Turic. a sec. m. et Goth. editt. vett. ante Stoer. *qui modus scribendi sit.* — *et haec.* al. *at* Goth. Ald. Ita passim in transitu: XI, 3, 88. *et hi quidem de quibus sum locutus.* — *in iis.* Guelf. qui in malam partem propositi tenax reperitur: *his.* — *stilus.* In plerisque editt. vett. exaratur: *stylus.* neque ab eo usu recessit Obr. In Turic. est: *sterilis*; quod equidem monstrum exortum putaverim ex antecedenti: *affert.* — *vocavit.* Sic Spald. ex indiciis quamquam subobscuris Cod. Turic. pro vulgar. *vocat.* In illo enim est: *vocatis.* Simili modo supra I, 31. pro *molli* dederat: *uberi*; quippe in Tur. scriptum est: *moveri.* De re cfr. Cic. de Orat. I, 33.

§. 2. *altius.* Optimus Cod. Flor. a pr. m. dat *altum*: Guelf. cum Par. 6. *alte*, quod etiam est in editt. Stoer. Chouet. Leid. In Ambr. 2. datur: *alter.* Sed recent. ex cod. Bodl. tuentur nostrum. Obr. Gesn. Spald. Cfr. supra II, §. 20. Nobis *alte* satis fuerit, tum propter notionis gravitatem, quae inest verbo *effodere*, tum quod comparationis gratia additum videtur: *non a summo petitus.* — *fit.* Ab opt. codd. abest, Tur. pr. m. Flor. Guelf. Quare etiam omiss. in editt. Iens. et posterr. ante Aldd. acc. Obr. Alii dant: *est.* Gesn. Sed nostrum et usum Quinctil. adiutorem habet, et quod *fit* levi lapsu interire potuit propter vicinum *sic*, quod in *si* commutatum monstrat Tur. — *et fundit.* Sic Camp. et praeter Cod. Goth. aliquot editt. vett. Basil. Gryph. et post Gesn. Bip. Spald. et Gesn.

quam diligentissime et quam plurimum. Nam ut terra altius effossa generandis alendisque seminibus fecundior fit, sic profectus non a summo petitus studiorum fructus et fundit uberius et fidelius continet. Nam sine hac quidem conscientia ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit et verba in labris nascentia. 3 Illic radices, illic fundamenta sunt: illic opes velut sanctiore quodam aerario reconditae, unde ad subitos quoque casus, quum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia, quae sufficiant labori certaminum et usu non 4 exhauriantur. Nihil enim rerum ipsa natura voluit ma-

Contra Turic. (in quo *effundilur*) et Paris. 1. 2. 6. persistunt in: *effundit*; et sic pleraeque editt. Duo sunt, quae tardiores nos reddant ad sententiam Spald. et reliquor. amplectendam: primum quod *effundere* constanti fere usu optimorum scriptorum dicitur de *segetibus*. et de omni laeto proventu. Cic. Orat. 15. segetes fecundae et uberes non solum fruges, verum herbas etiam *effundunt* inimicissimas frugibus. Brut. 9. *effundit* haec aetas hanc copiam oratorum. Adde Quinctil. I, 3. 5. quae summo solo sparsa sunt semina, celerius se *effundunt*. Deinde quod dictum est *uberius*; hoc enim magis conveniens est *effundenti* quam *fundenti*, cuius est *late* vel *latius dispergere*. Quinct. II, 3, 17. Lib. VI. extr. Denique, quamquam id minoris aestumo, ipsa verborum collocationi aliquid subest, quod rem nostram adiuvet: nam compositionem et sonum in oratione quoque varie pro rerum [illegible]lo adhiberi, sicut in musice, auctor est Quinctil. I, 10, 23. — [illegible]di *facultas*. Quod in Flor. est: *difficultas*, unde prodierit vel oculorum acies docet.

§. 3. *aerario reconditae*. Dubia lectio: nam in Tur. Flor. Guelf. datur: *conditae*. In Tur. a s. m. *sacrario*, quod et Camp. et Iens. cum posterr. ante Ald. exhibent, nisi quod Iens. cum posterr. habet: *reconditae*, Camp. [illegible]*cond.* quod etiam est in Flor. — Sed sac*r*arium non sine [illegible]*loyus* vitio addi poterat, monente Gesn. ad h. l. et *recondit.* [illegible]bent Cod. Goth. et ex parte Tur. in quo est: *ea rarios condit.* Ac scimus quam saepe *s* et *r* inter se commutatae sint. Vid. exempla apud Drakenb. ad Liv. 26, 51, 4. Burmann. ad Ovid. Fast. IV, 209. Gronov. Observatt. I, 15. Praeterea res ipsa documento est: in *sanctiore* enim *aerario* pecunia publica ad ultimos casus servabatur. Cfr. Liv. 27, 10, 11. — *subitos quoque*. Quod ad h. l. olim protulit Badius *quosque*, quamquam nulla Codd. auctoritate nisus, Spalding. non improbavit, Frotsch. in textum recepit. At improbare debebat Spald. vel propter ea quae iuxta appo[illegible]leguntur: *quum res exigit*; ut alias taceam rationes, quarum [illegible]ae sunt valentissimae, quibus illud *quosque* ad irritum cadat. — *exiget*. In Guelf. *exigent*. Voss I. *exigunt*. Camp. *exigit*.

§. 4. *effici cito*. Recedere a Spald. qui dedit: *effingi cito*, quoniam esset in Tur. *effugitio*, in Palat. Gebhard. *effugere*, idem in Tur. a. m. sec. unde Burm. coniecit: *effingere*; nos iussit tum

gnum effici cito praeposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem; quae nascendi quoque hanc fecerit legem, ut maiora animalia diutius visceribus parentis continerentur.

II. Sed quum sit duplex quaestio *quomodo* et *quae* maxime scribi oporteat, iam hinc ordinem sequar. Sit primo vel tardus, dum diligens, stilus: quaeramus optima nec protinus offerentibus se gaudeamus: adhibeatur iudicium inventis, dispositio probatis. Delectus enim rerum verborumque agendus est et pondera singulorum examinanda. Post subeat ratio collocandi: versentur omni modo numeri: non ut quodque se proferet verbum, occu-

Codd. auctoritas, tum omnium editt. consensus. His alias quoque adiungere liceat rationes, haud infirmiores. Nam primum *effingere* hominis magis est, *efficere* naturae. Cic. Acad. I, 6, 24. de natura philosophi ita dicebant, ut eam dividerent in res duas, ut altera esset *efficiens*, altera autem quasi huic se praebens, ea quae *efficeretur* aliquid. Quare etiam recte legitur Quinctil. XII, 10, 9. Phidias tamen diis quam hominibus *efficiendis* melior artifex creditur. Deinde *efficere* dicitur simpliciter, *effingere* connexe, hoc est, ita ut vel proponatur, vel animo cogitetur summum quoddam et perfectum exemplar, ad quod aliquid formetur. Exemplis ipsa Quinctil. scripta abundant. Cfr. X, 1, 108. I, 2, [illegible] se ad spem tollere *effingendae* quam *summam* putant, elo[illegible]tiae. Porro non de sola *imitatione* agitur, sed omnino de operibus qualiscunque generis procreandis. Ipsam vero literarum *c* et *g* tum propter similitudinem tum ex pronunciatione exortam permutationem ad omnes fere scriptores vett. adnotarunt interprett. Cfr. Corte ad Plin. Epp. V, 6, 4. Burmann. ad Ovid. Met. II, 505. Drakenb. ad Liv. 6, 25, 6. Denique *difficultas* a natura *praeposita* potius *efficere* quid conanti quam *effingenti* molestias facessit. Hic enim in *perfectissimo quoque* repraesentando elaborat, ideoque summam operis speciem reddere studet. — *parentis*. E. Guelf. et Camp. adsent. Goth. et nunc Paris. 2. 6. Amb. 2. Gesn. et Spald. Rel. *parentum*. In Tur. est: *parentibus*: quod ideo memoramus, ut quid erroris vocabulorum et formarum vicinitas librariis effecerit, tironibus apertum fiat. Ita supra II, 27. pro *omnis* in Tur. et Flor. datur *omnibus*; nimirum antecedit: affecti*bus*. — *hinc*. al. *hic*. Guelf. Confusionis exempla congessit Drakenb. ad Liv. 26, 13, 13. *hunc*. Obr. cui favet Gensler. Verum solemnem esse scriptori nostro illam locutionem, ubi ex proposito rem per singulas partes exponere incipit, monuit Spald. Vid. II, 11, 1. III, 1, 1.

§. 5. *offerentibus se*. In Flor. *efferent e*. Cfr. Orell. ad Cic. Sext. c. 6, 7. Plerique editt. *se off*. Obr. Gesn. Saepe locum mutat Pronom. person.; sed ne id temere fiat, cavendum. — *agendus*. al. *habendus*. lens. et posterr. ante Basil. et al. Illud ex opt. Codd. Utrumque recte dici adnotavit Burmann., fortasse

6 pet locum. Quae quidem ut diligentius exsequamur, repetenda saepius erunt scriptorum proxima. Nam praeter id quod sic melius iunguntur prioribus sequentia, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, recipit ex integro vires et velut repetito spatio sumit impetum: quod in certamine saliendi fieri videmus, ut conatum longius petant et ad illud aliud quo contenditur spatium cursu ferantur: utque in iaculando brachia reduci-
7 mus et expulsuri tela nervos retro tendimus. Interim tamen, si feret flatus, danda sunt vela, dum nos indulgentia illa non fallat. Omnia enim nostra, dum nascuntur, placent: alioqui nec scriberentur. Sed redeamus ad iu-
8 dicium et retractemus suspectam facilitatem. Sic scri-

*agere* usurpatum esse, quod hic improprie usurpetur *delectus*, monuit Spald., curae et diligentiae maioris notionem verbo *agere* inesse censet Frotsch. Dicas caussam esse, quod *delectum agere* ipsius est *auctoris*, ad quem tota res pertinet, ita ut ipse *delectus* totius operis scil. scribendi *pars* sit habenda; contra qui *delectum habet* id muneris ex mandato peragit: quo ubi defunctus est, officio satis fecit. Itaque si qua notio subest, est *diuturni et continui* laboris. — *post.* al. *postea.* Camp. et nonn. posterr. ante Stoer. In Tur. et Flor. *potest.* Nostrum dat Guelf. — *versentur.* al. *serventur.* Camp. Sed cfr. infr. V, 9. Quod Spald. suspicatus est h. l. a Turic. abesse encliticam, id in dubium vocaverim vel propterea quod additur: *non* etc. — *proferet* al. *proferat.* Camp. acc. Paris. 1. 2. 6.

§. 6. *scriptorum.* Cum Tur. (a sec. m.) Flor. Iens. et posterr. ante Bad. exhibent: *scriptori.* — *mora refrixit, rec.* Iens. et posterr. ante Bad. inserunt: *sic* (etiam Obr.) ante *recepit,* quod dant pro: *recip.* — *conatum.* Camp. *conatu.* — *illud aliud.* Vulgo omitt. *aliud,* Obr. *in illud.* Nostrum Spald. ex Tur. Flor. quamquam illo incerto auctore. Gernhardus, quod insolentius dictum videretur, uncis inclusit *aliud*: nescio [illud] merito, quum de re usitata et omnibus nota sermo sit; neque in eo [consentio], quod facilius vel aptius quis dixerit: *alterum,* primum quod non tam conveniens *spatio,* quam *termino;* deinde quod *aliud* indefiniti quid habet: cogitari enim potest vel brevius vel longius.

§. 7. *feret flatus.* Al. vel *fieret.* Tur. Flor. Guelf. Paris. 1, 6, et Iens. cum posterr. ante Ald. acc. duobus Voss. vel *fuerit.* Sic Camp. cum Bodl. Goth. aliisque. Nostrum tuentur et Obr. et Gesn. et Burm. qui praeter alios Servium vetatem accivit, ad Aen. VII, 27. et nunc Paris. 4. 5. Ceterum ipsa imaginis ratio ea est, quae lectionem confirmet: omnia enim positoum ostentant colorem.

§. 8. *Varus.* Frotsch. et nuper Gernh. exarari voluerunt: *Varius,* suadente Spald. sed quum esset contra Codd. auctoritatem, recipere non conante: est tamen aliquid testimonii in Flor. et Guelf. *variis.* De scriptura nominis aliis quoque viris DD disceptatio exorta. Cfr. *Baehr* Hist. rei lit. Rom. p. 82. 81. Cur

psisse Sallustium accepimus: et sane manifestus est etiam ex opere ipso labor. Virgilium quoque paucissimos die composuisse versus auctor est Varus. Oratoris quidem 9
alia conditio est. Itaque hanc moram et solicitudinem initiis impero. Nam primum hoc constituendum, hoc obtinendum est, ut quam optime scribamus: celeritatem dabit consuetudo. Paulatim res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio prosequetur: cuncta denique, ut in familia bene instituta, in officio erunt. Summa haec est rei. Cito scribendo non fit, ut bene scribatur: bene 10

h. l. a Quinctil. scriptum fuisse censeam *Varus*, aliqua ratio subest.

§. 9. *hoc obtinend.* Obr. *ac obtin.* Nolumus repetere trita et de quibus nunc inter omnes convenit, de usu particulae *ac*, cui ante vocalem literam locus non sit: unum memoramus, quod mirum videbatur, in Sallust. Iug. c. 100 edit. Müller. etiamnunc exaratum legi: *ac* in *conspectu.* — *prosequetur.* Ita opt. codd. et Obr. Reliq. *sequetur.* Gesner. coniiciebat: *per se seq.*

§. 10. *facultas.* In editt. Ald. Bald. *facilitas*: ex errore librariorum aeque excusando ac frequenti. Quinctil. IV, 1, 61. et infra Cap. V, 1. — *resistamus etc.* Concedere quidem fas esse putavimus auctoritati et iudicio Spaldingii, quamvis nobis persuasum sit, haec qualia in libris aliis aliter proferuntur nec mente nec calamo Quinctilianum concepisse. Sed audiamus virorum DD. sententias. Frotscher. locum ita constituit: *resist. et provideamus efferenti se quosdam frenos, quibus coerc.;* quam quidem valde improbavit Zumpt. contra felicissimam praedicavit Geelius coniecturam. Neque adsentitur Gernh. cui probabilior videtur ratio haec: *Resistamus, provideamus* et — *coërceamus.* Zumpt. ad h. l. scribendum existimat: *et provid. et efferentem se* (dicendi facultatem) *quasi frenis quibusd. coerceamus.* Lectio quam dedimus Spaldingii tota paene est editt. priorr. nisi quod ille particulae *et* feroc. quae est in plerisque, (Obr. Gesn.) substituit *ut.* In *Ald.* et paucis exhibetur: *ac.* Alia vero discrepantia est, quod in Flor. a sec. m. in Goth. Voss. 2 et editt. vett. ante Gryph. exc. Ald. perinde atque in Paris. 1. 2. est: *prohibeamus.* Pro *ferocientes eq.* longe plurimi et optimi Codd. (Tur. Flor. Alm. Guelf. Ambr. 2. In Paris 1. 2. 6. *et effer. eq.* et ante Gryph ) conspirant in: *efferentis eq.* vel *efferentes* vel parvo discrimine: *et ferentes.* Quae quum ita sint, nobis diligenter his omnibus quamvis inter se contrariis opinionibus ponderatis eo redit sententia, ut *imaginem* illam ab *equis petitam* si per se spectaveris, neque ineptam neque indignam habeamus; contrarias vero partes ita nuper conciliare tentavimus ut ab auctore scripta fuisse statueremus haec: *resistamus ac provideamus, et ut efferentes se equos frenis quibusdam coërceamus;* sc. *nos,* nam ad *facultatem* nonnisi violenta et illepida quaedam fit translatio. Nam num apte dicatur: *providere frenos* alicui, ut idem sit, quod: *frenos imponere*, dubitaverim; atque illud *ferocientes* potius glossatoris quam scriptoris habuerim. Quod Burmann.

scribendo fit, ut cito. Sed tum maxime quum facultas illa contigerit, resistamus ut provideamus, et ferocientes equos frenis quibusdam coerceamus: quod non tam moram faciet quam novos impetus dabit. Neque enim rursus eos, qui robur aliquod in stilo fecerint, ad infelicem
11 calumniandi se poenam alligandos puto. Nam quomodo

edidit: *furentes*, et quod attinet ad equos et ad scriptorem, modum excedit. Verum nonnulla sunt, quae displiceant et quibus imago claudicare putem. Primum illud est, quod dicitur *frenis quibusdam*, at *equi* non *quodammodo* sed vere ac proprie frenis reguntur. Quid quod in *ipsa imagine* adhibenda, cuius vis est ad rem explicandam et ante oculos veluti collocandam, indefinitae locutioni locum esse statuamus? Minime vero. Tum gravissime offendamur necesse est eo, quod obiecti notio frustra requiritur. Quae quamquam suppleri potest, sive *facultatem* adsumas, sive *nos*, id fieri nequit nisi per saltum. At si cuiusquam oratio dici debet *continua* et *connexa*, quoad sententias, Quinctiliani est. Itaque haec considerans eo pervenī ut ab auctoris manu haec exarata putem: *resistamus et provid. efferentesque nos frenis quibusd. coerc.* — Iam unde advecti fuerint *equi*, manifestum est; et quid sit *se efferre*, satis constat. — *neque enim.* Sic Spald. ex Tur. Flor. Guelf. Reliq. *nec enim.* Obr. Gesn. In Camp. et Ald. est: *nec vero.* — *fecerint* al. *fecerunt.* Goth. lens. cùm posterr. ante Basil. — *calumn. se.* al *esse.* Solus Obr.

§. 11. *officiis civil.* Rel. invertunt ordinem: *civ. off. poss.* Obr. Gesn. In Guelf. *off. poss. civ.* — *insenescat.* Quum in Tur. et Flor. insertum esset *vel* post *singulis*, quod a corrigente mutatum est in *velut*, Frotschero digna visa est vox, quae reciperetur: itaque dedit: *velut insen.* praeeunt. Camp. Magis placet Spaldingii opinio, suspicantis ponendum esse illud *vel* ante *singulis*. Nimirum etiam *vel* particula excusantis est ac sententiam paullo duriorem moderantis; saepe aequat nostrum: ich möchte sagen. — *occurrit.* al. *occurrat.* Camp. et post Obr. Cfr. supra Cap. II, 28. — *increduli quidam.* In Tur. Flor. et duabus editt. vett. est: *quidem*, non: *creduli quid*, uti apud Gernh. haud dubie operarum vitio legitur quod probabile *visum est* Genslero, sed eum confutavit Frotsch. Explicat *quidam* ad h. l. Gernhard: *qui quodammodo dici possint increduli:* verum ad id attendendum est, quod cum quadam miseratione enunciatur, vel si placet, cum contemtu. Dixi de meo iudicio, sed suppetit eiusd. sententiae gravissimus auctor Ruhnken. ad Terent. Andr. I, 1, 42. a quo locus laudatur prorsus similis nostro: habitant hic *quaedam* mulieres *pauperculae*. Scil. *quidam* in *utramque partem* dicitur, pro notione adiectivi vel bona vel mala, alias est *eminentiae* et *laudationis*, (cfr. Eclg. Cic. p. 9.) atque maiore etiam cum vi usurpatur quam Graecor. τις. Sed quae huius loquendi usus sit conditio, optime apparebit comparatis inter se vocabulorum notionibus: *vir*, *homo*, *quidam*, *nescio quis.* — *ingenio suo.* Omitt. *suo* Tur. Flor. Camp. c. Alm. Non male id factum putabat Spald. contra statuit Frotsch. cui adsentimur; nam *ingenium* ubi ubi dicitur hominem spectat, cuius est: notio illa absoluta, quam vocant, qua veluti

sufficere officiis civilibus possit, qui singulis actionum partibus velut insenescat? Sunt autem quibus nihil sit satis, omnia mutare, omnia aliter dicere quam occurrit velint: increduli quidam et de ingenio suo pessime meriti, qui diligentiam putant facere sibi scribendi difficultatem. Nec promtum est dicere, utros peccare validius putem, 12 quibus omnia sua placent an quibus nihil. Accidit enim etiam ingeniosis adolescentibus frequenter, ut labore consumantur et in silentium usque descendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narrasse mihi Iulium Secundum illum, aequalem meum atque a me, ut notum est, familiariter amatum, mirae facundiae virum, infinitae tamen curae, quid esset sibi a patruo suo dictum. Is fuit 13 Iulius Florus, in eloquentia Galliarum, quoniam ibi de-

*virtus, probitas* ad universos pertineat, a voce *ingenium* prorsus aliena est.

§. 12. *enim*. Sic Spald. ex Guelf. cum Basil. quum in Flor. sit: *etiam*, cum qua faciunt Goth. et ex editt. Iens. cum posterr. ante Ald. In reliq. *enim etiam*; sic Obr. Gesn. et nuper Frotsch. Non dubitavimus Spaldingio obtemperare, qui ex male capta emendatione geminationem coniunctionum exortam censet; nam *etiam* et *enim*, per compendium scriptum *eī* identidem commutata sunt. Cfr. supra I, §. 40. Quod si Quinctiliano talis placuisset cumulatio, equidem censeo, eum scripturum fuisse: *ingen. quoque.* — *familiariter amatum.* Quod miraberis, a Tur. datur: *viroter amat.* a manu corrig. *viriliter amat.* In Flor. haec desunt, item in Alm. Si quid scriptoris ingenio dignum putem, est: *fortiter amat. ἀνδρείως*: scil. quamquam desunt testes, fieri potuisse statuo, ut Quintil. amico constantis ac fortis amoris singularia quaedam et eximia ediderit documenta: certe non defuit temporum saevitia. — *mirae facundiae.* Frotsch. ex Flor. dedit: *mira fac.* Obsequendum puto Turicensi, qui nostrum certe ex parte tuetur. — *quid.* In Goth. *quod.* Probavit Spald. Bene habet vulgat. — *patruo*, Camp. *patre.*

§. 13. *adductae.* Ita opt. codd. et editt. vett. al. *abductae.* Post Tarv. Obr. Gesn. Utramque lectionem ex usu loquendi esse docuit Burmann. ad h. l. Pro nostra stat praeter Heinsium quem laudavit Burm. ad Ovid. Epist. XXI, 165. Quinctil. XI, 3, 78. superciliis frons contrahitur, *attollitur*, demittitur. ibid. §. 79. supercilia *allevantur*; et quod Plin. Epp. II, 5, 5. dixit: *frontem remittere.* et Sueton. Tib. 68. *adducto* fere vultu. Illam adiuvat Ovid. Met. II, 329. nam pater *obductos*, luctu miserabilis aegro condiderat *vultus.* Cfr. Casaub. ad Suet. l. l. Ceterum quid differentiae intercedat, facile sentitur, et quam recte viderit Spalding. Unum est indignationis, alterum aegritudinis; illud voluntarium quid indicat, hoc ab aliis effectum.

mum exercuit eam, princeps, alioqui inter paucos disertus et dignus illa propinquitate. Is quum Secundum scholae adhuc operatum tristem forte vidisset, interrogavit,
14 quae causa frontis tam adductae? Nec dissimulavit adolescens, tertium iam diem esse, quod omni labore materiae ad scribendum destinatae non inveniret exordium: quo sibi non praesens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens, *Numquid*
15 *tu*, inquit, *melius dicere vis quam potes?* Ita se res habet. Curandum est, ut quam optime dicamus: dicendum tamen pro facultate. Ad profectum enim opus est studio, non indignatione. Vt possimus autem scribere etiam plura celerius, non *exercitatio* modo praestabit, in qua sine dubio multum est, sed etiam *ratio*; si non resupini spectantesque tectum et cogitationem murmure agitantes exspectaverimus, quid obveniat, sed quid res poscat, quid personam deceat, quod sit tempus, qui iudicis animus intuiti, humano quodam modo ad scribendum accesserimus. Sic nobis et initia et quod sequitur natura
16 ipsa praescribit. Certa sunt enim pleraque et nisi conni-

§. 14. *quod.* Sic post Obr. Burm. Spald. ex opt. Codd. al. *quo* praeter Goth, Voss. 2. Camp. Iens. Tarv. Reliqui: *ex quo.* Gesn. Similis est locus Plin. Epp. IV, 27. Tertius dies est, quod audivi recitantem Sentium.

§. 15. *ad profectum.* Non possum mihi persuadere locum sanum esse, quum in Tur. et Flor. quamvis prodigiosi quid reperiatur hocce: *adfecero tum* Accedit, quod illa ipsa particula *enim*, si orationis nexum spectes, nec loci nec temporis esse videtur: requiritur enim non tam *causalis* vel etiam *illativa* uti vocant, quam *adfirmativa* atque simul errorem supra incusatum refutans. Itaque collegerim, illud *tamen* quod antecedit, transpositum rursus irrepsisse in versum sequentem, et a librario per compendium scriptum esse *tum:* (Drakenb. ad Liv. 22, 17, 5.) mira vero illa specie quae prostat in Tur. et Flor. *ad fecero*, significari: *ad id verb;* particulam *enim* prorsus delendam esse censeo, utpote quae originem duxerit ab illo *tum;* quod quomodo et quam saepe in *enim* mutata forma transiierit et supra dictum est et pluribus demonstravit Drakenb. ad Liv. IV, 44, 9. — *plura celerius* Vulgo inserunt: *et.* Obr. Gesn. Nostrum Spald. auctoritate Codd. melior. notae et editt. vett. — *intuiti.* al. *intuitu.* Iens. et posterr. ante Ald. — *quod sequitur.* Sic Spald. ex Tur. Flor. Camp. Vulgo: *quae sequuntur.* Obr. Gesn. — *praescribit.* al. *praestabit.* Camp. et vett. editt. pauc.

§. 16. *semper putem.* Hoc ordine Spald. monitus a Tur. Flor. Camp. Reliq. *putem. semp.* — *immutescamus.* al. praepo-

veamus, in oculos incurrunt: ideoque nec indocti nec rustici diu quaerunt, unde incipiant: quo pudendum est magis, si difficultatem facit doctrina. Non ergo semper putemus optimum esse quod latet; immutescamus alioqui, si nihil dicendum videatur nisi quod non invenimus. Di- 17
versum est huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stilo quam velocissimo volunt et sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt; hanc *silvam* vocant: repetunt deinde et componunt quae effuderant: sed verba emendantur et numeri, manet in rebus temere congestis quae fuit levitas. Protinus ergo adhibere curam 18
rectius erit atque ab initio sic opus ducere, ut caelandum, non ex integro fabricandum sit. Aliquando tamen affectus sequimur, in quibus fere plus calor quam diligentia valet.

III. Satis apparet ex eo quod hanc scribentium negligentiam damno, quid de illis dictandi deliciis sentiam. Nam in stilo quidem quamlibet properato dat ali- 19

nunt: *ne.* Iens. et posterr. ante Stoer. In Camp. praemittitur *nec.* — *nisi quod non inven.* a Guelf. abest *non;* approbarunt Gesn. et Gierig. Vide quae contra disputavi ad vers. German. p. 157. Not. 85.

§. 17. *decurrere.* Apud Ienp et post. ante Basil. praecedit: *quasi:* ex quo fonte id emanaverit, incertum: occasionem dedisse putat Spald. monstrum quoddam scripturae, quod est in Tur. *inquiri modo.* Scilicet si mentem Spald. perspicio, illud *modo* aliquis explicavit per: *quasi.* Verum ut profitear quod sentio, nonne *modo,* quod omnes aspernati sunt, aliquid praefert elegantiae? — *volunt.* Quaerit Spald. num *velint* rectius? frigere adfirmans illud *volunt.* Adsentior, sed quid inde? Mutentur nonnulla necesse est, quod quomodo fiat, dubium est, nisi quis amplectatur *velut,* quod datur in Tur. a sec. m. immutato Infinitivo *decurrere* in *decurrentes.* — *quae fuit.* In Goth. Voss. 2. Paris. 2. et in editt. Iens. ac posterr. usque ad Basil. *fudit:* quod Gesnero placuisse recte admiratus est Spald.

§. 18. *sequimur.* Fluctuant Codd. et editt. inter hanc formam et Futuri *sequemur,* ex vulgari errore. Nostram revocavit Spald. ex vetustissimis libris et editt. alteram approbarunt Obr. Gesn. cum mult. priorr. inde ab Ald.

§. 19. *aut resistere aut mutare.* Omissa haec in Tur. Flor. et Almel. quod nescio an consulto factum sit: ut absint integra stat scriptoris sententia: illa enim ipsa dubitatio est in resistendo vel mutando. Itaque si genuina sunt quae leguntur, Epexegesis habeas exemplum, veluti Sall. Cat. 2, 1. *vita sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant.*

quam cogitationi moram non consequens celeritatem eius manus: ille, cui dictamus, urget, atque interim pudet etiam dubitare aut resistere aut mutare, quasi conscium infirmitatis nostrae timentes. Quo fit, ut non rudia tan-

§. 20. *at idem ille qui excipit si tardior scribendo aut inertior, (in) legendo velut offensatus fuerit.* Locus ab aliis aliter tentatus; neque si quid viderim, ad integritatem sic restitutus, ut lis composita videatur. In quatuor potissimum discesserunt partes viri DD. Primum vulgata exhibebatur lectio haec: *at id. ille* q. *exc. si tard. in scrib. aut inert in leg. velut offensator fuerit.* Ab his paullo diversus Spalding. locum ita refingi volebat: *si tard. scribendo* (sive *in* scrib.) *aut incertior et delendo velut offensator fuit.* Frotsch. qui uberius rationem suam exposuit in libello singulari inscripto: Observatt. criticae in quosd. locos Quinctil. Lips. 1826. p. 17. sp. locum in hunc ordinem redegit, verbis *qui excipit* uncis inclusis: *qui tard. scrib. aut incertior et diligendo velut offensatur.* Postremo non reticenda sententia Censor. Quinctil. Spaldingian. aliquanto audacior: *at idem ille* (scil. impetus dicentium) *excipit tardior aut incertior, velut offensatur, atque omnis* etc. Nempe *conditionalem particulam* a scriptore omissam credas. Minus dura ideoque tolerabilior videtur coniectura quam exempli caussa proponit Frotsch. ibid. p. 20. *at id. ille si tard. scrib. aut incertior est diligendo, velut. offensatur cursus atque omnis etc.* Nostra dedimus de coniectura, cuius rationes reddidimus ad vers. Germ. p. p. 161. Not. 89. Ad Frotscheri sententiam nuper accessit Gernhard. Contra Zumpt. veram scripturam censet *offensatus fuerit,* ac praestare: *tardior scrib. aut incertior legendo.* De Codicum testimoniis si quis quaerit, ii haec fere exhibent: et *diligendo.* Tur. Flor. Alm. om. *et. incertior.* iid cum Guelf et Ambr, 2. *fuit.* Tur. Flor. Guelf. Voss. 1. — Quo minus *offensator* cum Spalding. retineamus, vel id prohibet, quod huiusmodi ἁπαξλεγόμενον neque usum habet testem, et quia simpliciter dictum non addito generis vel speciei nomine, friget; atque ipsi imagini illepidi quid subesse videtur. Sed quod tanquam clausulam additum existimet lector, quum semel coniecturarum campus pateat, monemur particula *et,* quam constanter servant libri optimi, ut *tres* potissimum criminationes h. l. a scriptore significari putemus, quibus obnoxii esse possint scribae. Sunt enim vel *tardigradi* ita ut moram faciant dictanti, vel *inertes* hoc est, imperiti et in arte sua tirones, vel malam illam et vitiosam et quae a scriba abesse debeat consuetudinem sequuntur, ut dictata et quae literis descripserint, *relegant,* homines scilicet rerum curiosi quae ad se non pertineant, ac temerarii.— Sed iam satis; itaque manum de tabula. — *conceptae.* Quum omnes libri persistant in hac vocabuli forma, cedendum esse putamus maiori, praesertim quum quae sit *concepta mens* et usus loquendi doceat, et *intentio concepta* aliquid redundantiae et improprii habeat. Vide si placet a nobis adnotata ad vers. Germ. p. 103. quibuscum conferas, ne videamur iudicium lectoris praeoccupasse, Davis. ad Cic. N. D. I, 2. et Ecl. Cic. p. 33. edit. III. ubi leguntur: *in specie fictae simulationis.* al. *ficta.* Ceterum ne quis haereat in verbi *excutere* propria significatione; eaque ma-

tum et fortuita, sed impropria interim, dum sola est connectendi sermonis cupiditas, effluant: quae nec scribentium curam nec dicentium impetum consequantur. At idem ille qui excipit, si tardior scribendo aut inertior et (in) legendo velut offensatus fuerit, inhibetur cursus atque omnis quae erat conceptae mentis intentio mora et interdum iracundia excutitur. Tum illa, quae altiorem mo- 21

gis respici *conceptam intentionem*: nam eo ipso nostra loci interpretatio confirmabitur. Nimirum si quid excuti dici potest, *mens* est *concepta*, h. l. *cogitatio:* minime vero *intentio*.

§. 21. *altiorem*. Variat scriptura Codd. et editt. al. *aptiorem* Tur. Flor. Ambr. 2. Camp. et cod. Bern. Reliqui *apertiorem*. Gesn. Nostrum dant Guelf. et editt. Gryph. al. Obr. et Spald. Qui sit animi motus *apertus*, explicari quidem potest eum esse, qui se aperit, prodit; verum tamen utrum bene et apte dicatur, quaestio est. Equidem putaverim, omnem motum esse vel *interiorem*, vel *concitatiorem*, vel *leviorem* et modicum et huiúsmodi alium: ad notionem vero *motus* definiendam nequaquam requiri id, utrum *apertus sit* nec ne, propterea quod clandestinus esse nequit: omnis scilicet motus in sensus incidat necesse est. Alia prorsus ratio est adfectuum, quorum notio latius patet, unde etiam *saevitia* et *consternatio* et *premi* et *erumpere* dicuntur. Cfr. Tacit. Ann. I, 4. XIII, 16. Ceterum *aperte et apte* alias quoque inter se confusa. Drakenb. ad Liv. I, 34, 8. — *torquere vultum simul et latus et interim obiurgare*. Haec vulgata lectio, quam Spalding. Codd. monentibus, intactam relinquere noluit. Etenim illud *vertere* qua nitatur auctoritate, nam levis illa Cod. Paris. 2. a sec. m. in censum non venit, ignoratur; deinde recte dubitat, num *vertere latus* bonis scriptoribus in usu fuerit dicere: esse *manuum* ipse Quinctil. auctor est XI, 3, 101. Tum Codd. Tur. et Flor. nihil dant nisi ille: *sinti elatus inter;* hic: *simul et elatus*. In Guelf. tantum exhibetur: *simul et inter*. His ita compositis diversam attulerunt loco medelam VV. DD. Suasit Spald. verum non sine aliqua dubitatione: *vultum simul, interim et latus* (scil. torquere) *interim obiurgare* (sc. latus.) Frotsch. auctorem secutus Censorem Ienens. edit. Spalding. 1821. in contexta recepit haec: *torq. vult. sinum et latus interim obiurgare*. Scil. latus *obiurgare* esse i. q. ferire, castigare: de quo significatu conferre iusserat Spald. Graev. ad Flor. I, 1, 8. Interprett ad Petron 34. quibus adnumeravit Frotsch. Brem. ad Suet. Calig. c. 20. Dissentit ab his, maxime a Frotsch. Zumpt. *obiurgare* latus idem esse quod *ferire, caedere,* vehementer dubitans et propius ad codicum scripturam accedere *scindere latus* opinans. Quod quomodo excusari possit atque firmioribus argumentis defendi, quam exigua quadam literarum similitudine, non video: nam quid sit *labra scindere* quum olim ambigeret Gesner. ad Quinctil. XI, 3, 81. quod tamen probabili explicuit ratione, esse: *a forti compressione subito laxare:* quid haec ad *latus* vix enucleari posse arbitror: nisi quis cogitet de *amictu*, velut si quis *exserto brachio latus introspiciendum* dederit. Cfr. XI, 3, 118. et quae adnotavit

tum animi sequuntur quaeque ipsa animum quodammodo concitant, quorum est iactare manum, torquere vultum simul et latus et interim obiurgare, quaeque Persius noquum leviter dicendi genus significat:

*Nec pluteum*, inquit, *caedit nec demorsos sapit ungues:*

etiam ridicula sunt, nisi quum soli sumus.

22 IV. Denique, ut semel quod est potissimum dicam, secretum in dictando perit. Atque liberum arbitris locum et quam altissimum silentium scribentibus maxime convenire nemo dubitaverit. Non tamen protinus audiendi, qui credunt aptissima in hoc nemora silvasque; quod illa

Gesn. Itaque acquiescendum esse puto in iis, quae tum Cod. Flor. non suadet sed paene efflagitat, et quod consuetudini loquendi vel maxime conveniens esse apparet: *torquere vultum simul et latus;* interim *et obiurgare.* Ita enim XI, 3, 90. *motus laterum — torquendus* dicitur; et Cic. Orat. c. 18. *virilem laterum flexionem* memorat. *Obiurgare* vero *pectus* vel *latus*, vel *sinum*, vel longissime ab sermone vulgari recedere existimaverim, ipso Quinctiliano teste XI, 3, 140. ibiq. Gesner. et Zumptio adsentiente. Nam qui feruntur similes loci, et Flori et Suetonii l. l. in iis aliud quid significari, quam quae a nostro scriptore efferuntur, mihi persuasum est, et verba adiecta docent: velut *flagris obiurgare, vel ferulis.* Ponamus igitur, h. l. describi, quod vere interdum accidit, ut quum vehementius animo concitati sumus, eo usque exardescamus, ut vel nosmet ipsos vel alium quempiam adversarium, quo cum mente conligimus, magna voce increpemus. Itaque et hic valent illa, quae disseruit Quinctil. I, 3, 30. Maxima pars eloquentiae constat animo. Hunc affici, hunc concipere imagines rerum, et *transformari quodammodo ad naturam eorum*, de *quibus loquimur*, necesse est. Is porro, quo generosior celsiorque est, *hoc maioribus velut organis commovetur.* — *Persius.* Est Satir. I, 106.

§. 22. *potissimum.* al. *potentissimum.* Nostrum Tur. Flor. et post Camp. Iens. et posterr. ad Basil. acc. Paris. 1. 2. Etiam aliis locis a librariis has duas voces confundi solere docuit Drakenb. ad Liv. II, 53, 3. Corte ad Plin. Epp. IV, 4, 1. ubi varia in editt. scriptura. Praetulit Spalding. *potentiss.* idque defendi potest quemadmodum supra §. 13. frons *adducta* et *obd.* Ac frequens est Quinctil. in hoc vocabulo usurpando, sed ubi illud adhibet, *probationes, exempla, testimonia* designat, vel infirmiora vel validiora. Cfr. III, 6, 8. V. 10, 103. 118. V, 11, 6. 37. Verum aliam cognosces loci nostri conditionem; itaque revocamus *potissim.* quod etiam Schaefer. ad Plin. Epp. l. 1. approbasse videtur. Scilicet praecipiente Cicerone Invent. I, 12. in *comparatione* per contentionem utrum *potius* aut quid *potissimum* sit, quaeritur. At quis est qui talem comparationem s. gradationem a scriptore nostro h. l. admissam neget? — *atque.* Spalding.

coeli libertas, locorum amoenitas, sublimem animum et beatiorem spiritum parent. Mihi certe iucundus hic magis quam studiorum hortator videtur esse secessus. Namque illa quae ipsa delectant, necesse est avocent ab intentione operis destinati. Neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest: et quocunque respexit, desinit intueri quod propositum 23

invitis Codd. ex coniectura dederat: *atqui*. Quae contra disseruit Frotsch. quid spectent, videbis. *Atque* verum esse, unum Ciceronis locum testem habeo, quo similiorem nostro vix reperies. Est ad Div. IX, 15, 13. *Atque hoc nolim me iocari putes*; et si cui comparanda est particula alii, erit: *et quidem;* cui respondent quae sequuntur: *non tamen*. Inest vis *asseverandi*, ita ut *exaequet* quodammodo *et sane*. Eandem conditionem vidimus esse loci supra explicati Cap. II, 20. Cfr. nos ad vers. germ. p. 148. Not. 73. *Colligentis* esse, quod in Indice explicat Ellendt ad Brut. §. 279. mecum erunt, qui dubitent. — *locorum*. Sic Spald. ex Tur. Flor. vulg. *locorumque*. — *parent*. Goth. *parant*. Non mirum magis, quod *Schelius* ad Dial. de Oratt. c. 12. coniecit *pariant*. Ne risum moveat consideranti quid sit: *coeli libertas parit animum:* tantum a verborum proprietate aberrare potuisse Quinctilianum? Nimirum *parere* passim quidem est idem quod *sibi parare*, sed ita usurpandum, ut *res* quae parere quid dicantur, personis vel similes sint, vel iis comparari queant, sic ut aliquid commodi inde in ipsos auctores exsistat: veluti: *libertas publica felicitatem parit*. Illa enim quam modo commemoravimus *voluptatis* et *commodi* (πλεονεξίας) nota praecipua est et veluti insignis, qua *parere* dignoscas a *parare;* cum qua ex rerum natura cognata est notio opposita *detrimenti* capiendi, si forte *partum* nobis eripiatur.

§. 23. *certe iucundus*. Frotsch. inserit: *ut Demostheni*: scilicet haec verba quasi eliciens ex notis Cod. Flor. in quo exhibentur haecce: *vim demoni*. Quod quid sit quum frustra secum agitasset Spalding. tandem bonam copiam eiuravit. Sed cui multa iam debet Quinctilianus, mox etiam plura debebit, Zumptius, vel aliquid hic latere putat, velut *iucunde vivendi*, vel nihil esse nisi quod statim infra sequitur *videtur*, a librario qualicunque de caussa transpositum. Simplicissimum quod in mentem incurreret literarum ductus intuentibus, praesertim quales sunt Almel. *videmoni*, nobis se obtulit: *videndi* i. e. *prospiciendi*. Cfr. infra §. 25. Et quum compertum habeamus, *vim* et *inde* interdum inter se commutata esse, (plura huius generis exempla congessit Drakenb. ad Liv. V, 20, 2.) quid obstat, quo minus existimemus sensum vel scriptoris vel librarii fuisse: *inde videndi?* Sed vereor iam, ne iusto gravioris momenti fecisse videar incerti auctoris sententiam. — *illa q. ipsa*. Ita Spald. ex opt. codd. Vulg. *illa ipsa qu.* — *delectant*. al. *delectent*. Iens. Tarv. Ald. — *avocent*. al. *advocent;* turpi errore. Cfr. Plin. Epp. IX, 36, 1. et I, 24, 3. Iens. et posterr. ante Ald. Erat fere verbum solemne *avocari* de iis qui quacunque caussa a meditatione incepta abduci se patiebantur. Vid. Interprett. ad h. l. — *respexit*. Sic Tur.

24 erat. Quare silvarum amoenitas et praeterlabentia flumina et inspirantes ramis arborum aurae volucrumque cantus et ipsa late circumspiciendi libertas ad se trahunt: ut mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitatio-
25 nem quam intendere. Demosthenes melius, qui se in locum, ex quo nulla exaudiri vox et ex quo nihil prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideoque lucubrantes silentium noctis et clausum

Guelf. Goth. Camp. et vett. editt. nonn. al. *respexerit.* Obr. Gesn. Quid frequentius acciderit hac Modorum permixtione, nescio. Cfr. Zumpt. §. 521.

§. 25. *ex quo — posset.* Obr. *poterat.* Idem nonn. editt. Iens. et posterr. ante Bad. positum habent post *vox.* — *recondebat.* al. *recumbebat:* id quod esset ignaviae. Iens. et qui eum secuti ante Ald. hic enim habet: *recipiebat.* — *ideoque.* Camp. *ideo:* probante Spald. cui cur non adstipuler, fortasse mecum alii sentient. — *velut tectos.* Enumeranda sunt varia tentamina, quibus librariorum erratis, si qua sunt, mederi studuerunt viri DD. Burmanno quondam placuit: *vel etiam lectus.* Refutavit eum Gesner. qui et ipse vulgatam lect. tuetur. Spaldingio haud ineptum videbatur coniicere, *vocem aliquam Graecam* latere in *rectos,* quod exhibent Tur. Flor. et Ambr. 2. Frotscher. duplicem viam patefecit, vel *erctos* i. e. septum vel *adrectos* legendum esse censens. Et hoc quidem adsensu comprobavit Geel. Biblioth. crit. nov. Vol. III. p. 287. Denique Zumpt. *velut arrectos* tanquam simplicissimam rei expediendae rationem commendat. At nos quod in hac litigatione suffragium feramus, anxie animo trahentes, id unum profitemur, nisi cui probentur quae nuper ad vers. Germ. p. 164. Not. 92. pro vulgata scriptura verba fecimus, *erectos* plus habere praesidii, quo defendatur, quam *arrectos.* Nam tum Quinctiliano admodum usitatum est vocabulum: I, 3. 10. *erectam circa studia mentem* vocat; IX, 4, 12. Pythagorei ad agendum dicuntur *erectiores:* tum illud *velut* cuius vis cernitur in lenienda notione duriore et quae non tam propria est quam esse debet, plus videtur convenire verbo *erigere* quam *arrigere.* Hoc enim nonnisi translato usurpatur sensu: et quid sit nemo nescit: ideo non excusatione indiget, vel si mavis, commendatione, quo speetat illud *veluti.* At illud *erigere* proprie est: afflictum et qui demisso animo est sursum tollere, veluti arborem prostratam. Denique, si licet imaginem per partes sequi, qui aliquem *arrectum tenere* cupit, vertice eum comprehensum teneat necesse est et sursum trahat; contra qui *erectum tenet,* ei iuxta consistere satis est. Sed missa sit concio. Verum ut fatear: quae tandem cubiculo clauso, praesertim lumine uno collustrato vis inest veluti magica vel *erigendi vel arrigendi?* Nempe si qua est, erit sopiendi. Quibus etiam id addendum est, quod si *tectos tenere* legitur, arctiorem fieri sententiarum inter se connexio: modo enim dixerat Quinctil. de loco ex quo nulla exaudiri posset vox, nihil prospici; quem locum vel carceri vel sepulchro haud immerito compares. Eandem iam

cubiculum et lumen unum velut tectos maxime teneat. Sed quum in omni studiorum genere, tum in hoc praecipue bona valetudo quaeque eam maxime praestat, frugalitas necessaria est: quum tempora ab ipsa rerum natura ad quietem refectionemque nobis data in acerrimum laborem convertimus. Cui tamen non plus irrogandum est quam quod somno supererit, haud deerit. Obstat enim diligentiae scribendi etiam fatigatio: et abunde, si vacet, lucis spatia sufficiunt: occupatos in noctem necessitas agit. Est tamen lucubratio, quoties ad eam integri ac refecti venimus, optimum secreti genus. 26 27

esse iubet conditionem lucubrantium. Itaque stet sententia. Ceterum de discrimine verbor. *erigere* et *arrigere* cfr. Corte ad Sall. Iug. 23, 1. Kritz ad Catil. 39, 3 et de confusione vocabulorum *tectus* et *rectus* Drakenb. ad Liv. 34, 60 5. a quo disces, vero animi torpore saepe a librariis *naves rectas* scriptas esse pro: *tectas*.

§. 26. *quum — convertimus.* Haerebat cl. Spalding. in verborum structura et in cumulato *quum;* magis ei placebat *quo,* quod referretur ad studiorum genus. Sit ista iteratio particulae: nam diversa eius est notio; et adhibito illo *quum* tum perspicuitati tum rationibus sermonis Latini optime consultum esse praeter Ramshorn. p. 611. quem laudavit Frotsch. te docebit Zumpt. §. 580. sq. et tute ipse senties. — *supererit.* Palat. Gebhard. *superarit*; ex usu consueto scriptoribus neque tamen h. l. necessario. Cic. de Orat. II, 19. in quo *deesse* aliquam partem et *superare* mendosum est. Verum noli putare nihil prorsus referre utrum verbum adhibeas; tam differunt, ut *superare* hic non modo possit sed ne debeat quidem usurpari. Aliud enim est *residuum esse*, (superesse) aliud *abundare.* (superare) — *haud deerit.* Obstinato velut sensu Codd. paene omnes conspirant in: *aut deer.* (Etiam Paris. 1. 6. in 2. a sec. m. *haud.*) Eos secuti sunt libri editi usque ad Gryph. Primus veram induxit scripturam *Badius* ex Vall. Quodsi quis illud *aut* interpretari velit de *intermisso somno*, sibimet ipsum sequentibus contradixisse Quinctilianum reperiat. Sed obstat etiam id quod antecedit *non plus:* nam si scribere volebat Quinctil. *aut*, tunc dicere debebat: *cui — non irrogand. est nisi quod* etc. Neque id taceam, *aut* a scriptore commutari debuisse in *vel*, propterea quod si quid somno deest, id casu fit et praeter naturam, non necessario neque ex lege. Itaque frustra operam in isto *aut* defendendo collocasse existimandus est Gensterus.

§. 27. *impedient.* Ita opt. Codd. (acc. Ambr 2. Par. 1. 6.) et editt. Camp. Iens. cum posterr. ante Gryph. exc. Bad. Reliq. *impediunt.* Obr. Gesn. Duo tantum Alm. Voss 1. *impediant.* Recte monet Zumpt. ad h. l. Ciceronianam rationem postulare *Coniunctivum*, sed ab usu priorum iam deflectere Quinctil. Equi-

28 Sed silentium et secessus et undique liber animus ut sunt maxime optanda, ita non semper possunt contingere: ideoque non statim, si quid obstrepet, abiiciendi codices erunt et deplorandus dies, verum incommodis repugnandum et hic faciendus usus, ut omnia quae impedient vincat intentio: quam si tota mente in opus ipsum direxeris, nihil eorum quae oculis vel auribus incursant,
29 ad animum perveniet. An vero frequenter etiam fortuita hoc cogitatio praestat, ut obvios non videamus et itinere deerremus: non consequemur idem, si et voluerimus? Non est indulgendum causis desidiae. Nam si non nisi refecti, non nisi hilares, non nisi omnibus aliis curis vacantes, studendum existimaverimus, semper erit propter
30 quod nobis ignoscamus. Quare in turba, itinere, con-

dem observasse videor paullo diversam esse conditionem, utrum aliquis respexerit *qualitatem* ita appellatam nominis, an *tempus* et quae in eo accidere possunt: pro illa conditionis diversitate unum alterumve Modum adsciscendum esse

§. 29. *An vero.* al. *at.* editt. vett. Ald. Basil. Gryph. Sed illam interrogandi rationem vehementer amasse Quinctil. docuit Spald. ad h. l. Cfr. V, 12, 21. XI, 2, 38. VI, 2, 30. Adde quod *vero* ubi adiungebatur particulae interrogativae *an*, levi ironiae inserviebat: quae quam huic loco congruat, ipsa res docet. Cfr. Goerenz. ad Cic. Fin. II, 26, 83. nec mirum, nonnullos post *vero* inseruisse *si;* sed alium errorem deprehendes in *fortuitu*, quod est in Tur. Flor. de quo uberius egit Drakenb. ad Liv. 2, 28, 1. Cfr. Orell. ad Cic. Offic. I, 29, 32. Idem accidit vocabulo *gratuito*. Cfr. Interprett. ad Suet. Tib. 39. — *hoc.* al. *haec.* Camp. Iens. et rell. ante Bad. Improb. Sp. — *aliis.* om. Iens. c. posterr. ante Ald. in pauc. deest *omnib.*

§. 30. *conviv. etiam.* Addita leguntur post *etiam* in Iens. verba haec: *vel concione*, a quo eadem recepta sunt a posterr. paucis exceptis, in quibus Badius, qui ab aliquo imperito e margine in contexta intrusa opinatur. Forsitan aliquis *turbam* interpretatione egere putavit; credo quia apud Livium et alios legitur: *turba forensis*, 9, 46. et: *quum circumfusa turba esset, prope in concionis* modum. 2, 23. — *in quod.* al. *quo.* Optimi et plurimi Codd. et editt vett. hanc scripturam tuentur; et Zumpt. eam revocare iubet; attamen Spaldingium sequi et priorr. in quib. Obr. Gesn. potius habuimus, quum structura Accusativi propius accedat ad usum *Dativi*, qui solemnis est scriptoribus. Ita Plin. Epp. IX, 20, 5. insulae vel *litori* vel *sibi illisae* terunt teruntur que. Vide quae uti assolet, subtiliter et eleganter de quarti et sexti casus discrimine accurate observando disseruit cl. Goerenz. ad Cic. de Fin. V, 30, 92, p. 649. ac de more qui apud scriptores posterioris aevi obtinuit cfr. Bremi ad Suet. Oct. 98. extr. Collat. Tacit. Ann. I, 4. ubi leguntur: congestos *iuveni* consulatus. —

viviis etiam, faciat sibi cogitatio ipsa secretum. Quid alioqui fiet, quum in medio foro, tot circumstantibus iudiciis, iurgiis, fortuitis etiam clamoribus, erit subito continua oratione dicendum, si particulas, quas ceris mandamus, nisi in solitudine reperire non possumus? Propter quae idem ille tantus amator secreti Demosthenes in litore, in quod se maximo cum sono fluctus illideret, meditans consuescebat concionum fremitus non expavescere.

V. Illa quoque minora (sed nihil in studiis parum 31
est) non sunt transeunda: scribi optime ceris, in quibus

*illideret.* al. *illideretur.* Praeter Paris. 2. Voss. 2. et editt. Vall. lens. c. posterr. ante Ald. omisso haud dubie *se*, quod deest in Camp. et Vall.

§. 31. *parum est.* Operam nuper qualemcunque impendimus huic lectioni quae est optimor. libror. Tur. Flor. Camp. ita stabiliendae, ut in tuto esse possit. Cfr. Adnotat. ad vers. Germ. p. 166. Not. 95. Sed veremur nunc quidem, ut id et nobis et scripturae contigerit. Itaque suffulcienda sunt ex parte superiora, ne incursione facta subito concidant. Scilicet dum *parum esse* recte habere contendimus, non id petimus, ut adverbium adiectivi locum obtinere credatur; id nobis non magis persuaderi poterit quam Bremio ad Aeschin. advers. Ctesiph. §. 2. p. 278. edit. Goth. sed *parum esse* in unam nobis coalescere videtur notionem qua enuncietur ratio, qua quid habeat. Quemadmodum itaque *satis esse* neminem offendit, ita *parum esse* valeat necesse est. Atqui quum *satis esse* affine sit notioni *officii debiti* ideoque iusti et aequi cuiusdam: cur inde colligere nefas sit *parum esse* idem fere significare quod: *imparem esse officio, negligentem?* Ergo enunciatione paullo sed ex aequo commutata, sententia haec evadet: *omnia vel leviora in studiis explenda sunt officia; nulli deesse, nullum detrectare fas est; omnibus satis esse debemus.* Nam eo quidem minime moveor, quod quum eiusdem generis *minora* esse adfirmentur, *parva* negari non possint; nam hic scriptoris singulare iudicium a vulgari discernendum esse, et res demonstrat et verborum compositio. *Illa* scil. intelligas quae *vulgo feruntur:* sed quae num vere sint quaeritur. Deinde id quoque non praetermittendum est, *minora* ex orationis nexu notionem *parvi* non augere aut intendere, sed infringere ac diminuere; ideoque *parvum* plus significare quam *minora.* Quare haec nobiscum reputanti Spaldingiana ratio optime constabit. Itaque nisi res ipsa se tutabitur, quod in studiis sane parva nonnulla sunt, Quinct. I, 1, 21. nihil tamen quamquam levioris momenti negligendum, actum erit de nobis. — *iuvant.* Nescio an alius quis mecum perhorrescat hoc verbum, praesertim quum in Tur. reperiatur: *vigant* a corrig. *vigeant;* in Flor. *figant.* Nam primum *quomodo* iuvent dubium relinquitur; deinde *aciem* iuvare mire dictum videtur, quum *acies* per se spectata valida esse ponatur. Sed quum *aciem figere* nonnisi hominum sit, oculos in aliquam rem intendentium, fortasse

facillima est ratio delendi; nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget: quae ut iuvant aciem, ita crebro relati, quoad intingitur, calami repetitione moran-
32 tur manum et cogitationis impetum frangunt. Relinquen-

sunt qui dubitent apte idem membranis tribui. Verum alia totius loci videtur esse sententia, quam quae adhuc esse putabatur. Hoc sibi voluit scriptor: *visus infirmior requirit membranas*, quia literarum ductus ac figurae facilius in iis distinguuntur: at contra *oculorum aciem* offendunt, quasi obtundunt; id quod expressit verbo: *figunt* h. e. *telo veluti acuto perstringunt.* Franco gall. *blesser*; nobis est: stechen, einen Druck der Augen verursachen. Velim me hunc dicendi usum pluribus exemplis confirmare posse, quam paucis nonnullis, quae suppetunt. Cic. Orat. c. 26, 89. orator — vitabit insanabiles contumelias: tantummodo adversarios *figet* et de Nat. Deor. 1, 24. Zeno ceteros quidem *figebat* maledictis. Cfr. Schirach. ad Orat. l. l. Quae si ex vero disputata sunt, videbunt amatores Quinctiliani, eum nisi necessitate urgente usum membranarum non admittere, sed repudiasse propter duplex quod afferant incommodum. Atque hoc nostrum iudicium vel maxime confirmatur usu particularum correlativarum *ut — ita*: in quo quantum sibi Quinct. constet noverunt periti, quos appellatos velim. — *ita crebro relati etc.* Dedimus haec ex coniectura, meliora si quorum sunt non inverecunde respuentes. Spalding. pro sua modestia medelam loco depravato adferre desperans, ut servaret animam, haec in contexta efferebat: *crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur man.* Frotsch. ex auctoritate cl. Hermanni edidit: *crebra relictionis quoad intinguntur calami repetitione.* Burmann. coniectatus erat: *crebra quoad tingitur calami repetitione.* Agmen claudat Zumpt. cui probantur haec: *crebra relictione,* quoad intinguntur calami, *et repetitione;* ita ut intelligatur *manus* crebro membranas relinquens et repetens. Difficile est exitum quaerere ex his ambagibus: id unum sentio ieiuni quid habere illud *membranas relinquere;* etenim ut scribendi intermissionem isto nomine appellasse Quinctilianus putetur, ego quidem deprecor. Cfr. adnotat. ad vers. Germ. p. 168. seq. Not. 96. — Codd. Tur. et Flor. dant: crebro relationi quod (Flor. s. m. quoad inguitur calami repetitione. acc. nunc Paris. 1. 6. Amb. 2. hic: *intiguitur.*

§. 32. *adiicienti.* Ita Spald. cum Gesn. aliisque At in Camp. et editt. ante Stoer. acc. Obr. *adiiciendi,* quod et Goth. cum Paris. 2. tuetur. In Flor. Guelf. et al. nonn. *adiicienda.* Tutius ire videbamur, dum lectionem Spald. retinebamus; quamquam altera illa Camp. et temporis futuri conditione et testimoniis Codd. mirum quantum sustentatur. Cfr. supra III, 24. *circumspiciendi libertas.* Cic. Div. II. 10. *orationis excursio.* — *interpositione.* Spald. ex Turic. *accusativum* revocavit. Nos priores secuti sumus: quibus ducti rationibus expositum est ad vers. Germ. p. 170. — *confundant.* ex consensu optimor. Codd. et editt. vett. Iens. Tarv. Basil. quos nunc etiam adiuvant Paris. 1. 2. 6. Ambr. 2. Al. *confunduntur.* Locat. et posterr. ante Ald. acc. Bad. Reliq. *confundunt.* Obr. Gesn. Scilicet Coniunctivi vim h. l. eam esse docuit Spald. ut quod *fieri possit* significet. At metus potius animi est, qui

dae autem in utrolibet genere contra erunt vacuae tabellae, in quibus libera adiicienti sit excursio. Nam interim pigritiam emendandi angustiae faciunt; aut certe novorum interpositione priora confundant. Ne latas quidem ultra modum esse ceras velim, expertus iuvenem studiosum (alioqui) praelongos habuisse sermones, quia illos numero versuum metiebatur, idque vitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus esse sublatum. Debet vacare etiam locus, in quo notentur quae 33
scribentibus solent extra ordinem, id est ex aliis quam qui sunt in manibus loci, occurrere. Irrumpent enim optimi nonnunquam sensus, quos neque inserere oportet neque differre tutum est, quia interim elabuntur, interim memoriae sui intentos ab alia inventione declinant; ideoque optime sunt in deposito.

exprimitur, *ne* tale quid accidat. Itaque ne id quidem recusarem, si cui placeret: interpositione *ne* priora confundant. — *praelongos.* In Codd. Tur. Flor. Almel. reperitur: *praelongos alius.* Flor. a sec. m. *post longos alios.* Num erubescat Quinctil. dixisse: *prae aliis longos?* Illud *alioqui*, si deesset, non adeo desiderarem: ambabus amplecterer *ingeniosum.* Quidni igitur a vero haud procul esse statuamus, illud *aliis* et quod paullo infra sequitur *quia* (in Flor. *qui*) a librario oscitante in unum corpus compositum esse? Nam quam Spalding. protulit explicationem; *imparatos* et *segnes* iuvenes quum ad orandum accessissent, fere fuisse verbosiores, non comprobem, quum qui prae ceteris dicti sint *studiosi*, neminem fugit, qui in aliquam cum Quinctiliano et Plinio venit familiaritatem.

§. 33. *id est.* Turic. dat: *idem et.* Inde exortum quod Camp. refert: *item et.* — *loci.* al. *locis.* Camp. et editt. ante Basil. sec. Goth. — *irrumpent.* Sic Spald. ex Tur. Flor. Vulg. *irrumpunt.* — *sui.* Hanc scripturam tanquam eruditissimam Spalding. et commendavit et quam validis firmetur testimoniis ad h. l. ostendit: neque vero in contexta recepit, Quod qui factum sit, nescio. Eandem praebent praeter Codd. Guelf. Goth. 3. Voss. Ien. et posterr. ante Basil. et ex recent. Gesner. Reliq. *suae.* Obr.

# CAPVT IV.

## DE EMENDATIONE.

*Emendationem fieri adiiciendo, detrahendo, mutando; mutationem multo difficilioris esse operae. Optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponas. Emendationi tamen finem esse debere et temporis modum habendum.*

1 Sequitur *emendatio*, pars studiorum longe utilissima. Neque enim sine causa creditum est stilum non minus agere, quum delet. Huius autem operis est *adiicere, detrahere, mutare.*

Sed facilius in iis simpliciusque iudicium, quae replenda vel deiicienda sunt: premere vero tumentia, humilia extollere, luxuriantia adstringere, inordinata digerere, soluta componere, exsultantia coercere, duplicis operae.
2 Nam et damnanda sunt quae placuerunt, et invenienda

§. 1. *iis.* al. *his.* Praeter al. priorr. Obr. Gesn. Nostrum in Tur. Goth. et inde a Iens. ad Basil. — *adstringere.* al. *astringere.* Spald. praeeunt. Camp. et posterr. ante Burm. exc. Gryph. Roll. *stringere.* sol. Obr. praepositione haud dubie in Argentorat. ab antecedente syllaba intercepta. — *digerere.* In paucis libr. quorum agmen ducit Guelf. *dirigere;* quod unum nactum est patronum Badium. Ceterum confusio frequens. Cfr. Drakenb. ad Liv. 8, 32, 5. et Burm. ad Suet. Caes. 44.

§. 2. *placuerunt.* Sic Frotsch. ex Tur. Camp. Tarv. Probat Spald. sed hoc admisso refingendum quoque censebat *fugerunt.* Nihil mutandum. Cfr. supra II, 28. quae *deerant.* Subtilius in verborum naturam inquirenti illa temporum variatio diligentiam scriptoris testabitur. — *reponuntur.* Sic Spald. auctoritatem secutus Tur. Flor. Camp. Reliqui omn. *reponantur.* Substituas *quando, quum* vel Infinitivum: quo facto adsentiet cl. Spaldingio.

quae fugerant. Nec dubium est optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponuntur, ut ad ea post intervallum velut nova atque aliena redeamus, ne nobis scripta nostra tanquam recentes fetus blandiantur.

Sed neque hoc contingere semper potest, praeser- 3
tim oratori, cui saepius scribere ad praesentes usus necesse est: et emendatio finem habeat. Sunt enim qui ad omnia scripta tanquam vitiosa redeant, et quasi nihil fas sit rectum esse quod primum est, melius existiment quidquid est aliud, idque faciant, quoties librum in manus resumserunt, similes medicis etiam integra secantibus. Accidit itaque, ut cicatricosa sint et exsanguia et cura peiora. Sit ergo aliquando quod placeat, aut certe quod sufficiat: 4
ut opus poliat lima, non exterat. Temporis quoque esse

Cfr. supr. III, 16. *si* difficultatem *facit* doctrina. Infr. IV, 1. *quum delet.* — *tanquam.* Ex illo *quam* quod est in Tur. Flor. effictum est *quasi* a manu corrigentis in Tur. quam uti fere ubique cupide apprehendit Camp. et posterr. ante Basil. Nostrum *nunc* etiam praebent Par. 2. 6. Aliam praeterea petere licet scripturae tutelam a notione particulae *tanquam*, quam accuratius describere tentavimus in Programmat. 1830.

§. 3. *emendatio.* Vulgo praemittitur: *ipsa.* Obr Gesn. nemine contra dicente. praeter Spald. qui strictius adhaesit Tur. Flor. — *habeat.* Sic cum Camp. Spald. Reliq *habet.* — *manus.* Permulti libri editt. et ex MSS. Guelf. cum 2. Voss. exhibent: *manibus;* nemine non nunc quidem respuente. — *resumserunt.* Sic Spald. Optimi libri in hac scriptura perstant; reliq. *resumserint.* Nihilominus et nuper dubitabam, et nunc haereo, num Spaldingio obtemperem an diversae sententiae auctoribus. Etenim et aliae caussae movent quas vid. ad vers. Germ. p. 172. et ipse Quinctil. II, 4, 13. diserte scripsit: *quoties* eandem materiam — scribere de integro *iuberem.* Aliquanto differt natura loci ac sententiae supr. III, 27.

§. 4. *ergo.* Ex fide Codd. Tur. Flor. et editt. vett. Rel. *igitur.* Solent ita passim variare librarii. Exemplorum copiam paravit Drakenb. ad Liv. 21, 40, 6. — *Zmyrnam.* Primum notabile est, quod in Tur. et Flor. cum Alm. totus locus inde a *Cinnae* ad *Panegyr.* nullus exstat. Deinde vulgata scriptura est: *Smyrnam*; quamquam in Tur. et Flor. aperte sit litera *i.* IX, 2, 64. In solo Ambr. 2. datur nostra scriptio, quam in utroque loco restauravit Spald. Sunt etiam qui praebent: *Myrrha* et similes formas. Antiquam speciem retinere placuit, quamquam Schneider. Element. l. l. I. p. 382. seq. alteram illam recentiorem po-

debet modus. Nam quod Cinnae Zmyrnam novem annis accepimus scriptam, et Panegyricum Isocratis, qui parcissime, decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet: cuius nullum erit, si tam tardum fuerit, auxilium.

tiorem existumat. — *parcissime.* Ex Codd. aliquid certi constitui nequit: dat Tur. *parissimum*, et a sec. m. *parcissimum*, quod nuper Frotsch. Quinctiliani esse adseruit.

# CAPVT V.

## QVAE PRAECIPVE SCRIBENDA SINT.

*I. Aliena esse transferenda, ut A.) vertantur Graeca in Latinum; B.) etiam Latina convertantur et varientur. II. Et nostra pluribus modis tractanda. Simplicissimam quamque materiam plurimum prodesse. In hoc optime facere infinitas quaestiones (θέσεις), locos communes, declamationes; eandem ob causam historiam, dialogos, carmina esse conscribenda. Hic tamen cavendum, ne diutius et nimium in falsa rerum imagine detineatur adolescens: immo in veris causis exercendum. Etiam in declamationibus quam proxime ad veritatem accedendum esse.*

**I. Proximum est, ut dicamus *quae praecipue scribenda sint.* Hoc exuberantis sit quidem operis, ut explicemus,** 1

§. 1. Inscriptionem repudiavit Spald. exemplum hoc in genere secutus Codd. Turic. Flor. et edit. Camp. Soli eam exhibent Guelf. et Goth. — *scribenda sint.* In Coniunctivo modo tuendo, quem exseruit Spald. praeeunt. priorr. nulla Codd. optimorum auctoritate adiuvamur, quum Tur. Flor. Guelf. Goth. editt. Camp. et lens. cum posterr. ante Bad. constanter servent: *sunt*: id quod nuper revocarunt Frotsch. Gernh. Sed nobis tum quod scriptori erat propositum, scil. *institutionis* notio et conditio, quae spectat futurum, tum verbi *dicere*, cui adfine est quod statim infra sequitur *agere*, propria significatio, et universa loci ac sententiae ratio persuasit, ut Coniunctivum etiam obnitentibus Codd. retineamus. Adde quod illud *quae* haud dubie Pronominis est substantivi, non relativi quod vulgo nominatur; at illius notionem indefiniti quid continere, tritum est. — *hoc.* In Tur. et Paris. 1. legitur: *haec*; idem praebent editt. lens. Tarv. unde haud infrequenti librariorum visu ac mente vacillantium stupore in Paris. 2. *nec.* Exempla congesta reperies Drakenb. ad Liv. 32, 21, 7. Similiter commutabantur *hunc* et *nunc*. Sed, ut sensum meum aperiam, magis mihi placet: *hic*, vel etiam: *in quo*. — *exuberantis quidem est operis.* Ex vexatissimis locus, quem ad exemplum cl. Spaldingii et priorr. reddere satius duximus, quam ex turbidis Codicum fontibus laborantem reficere. Varias enim Codd. exhibent scripturas: *experantibus id.* Tur. *ex imperantibus id.* Flor. cum Paris. 1. 6. Guelf. Voss. 1. 3. (et quod proxime accedit: *imparantibus.* Ambros. 2.) sed in his tribus *omisso: id*, quod est in Goth. Neque illud: *qui-*

quae prima aut secunda aut deinceps tractanda sint: nam id factum est etiam primo libro, quo puerorum, et secundo, quo robustiorum studiis ordinem dedimus: sed de quo nunc agitur, unde copia ac facilitas maxime veniat.

2 A.) Vertere Graeca in Latinum veteres nostri oratores optimum iudicabant. Id se L. Crassus in illis Ci-

*dem operis* diserte ac plene perhibent Codd. nam in Tur. datur: *qua idem oporis;* in Flor. *qua id operis.* Unde aliis alia coniiciendi copia facta est: num legendum sit *laboris*, quaerebat Spald. cui ut conveniens sit *exuberans* vehementer vereor. Frotschero praestare videbatur: *sit quidem operis;* id quod antea Spalding. proposuerat. Equidem ego, si in tanta animorum fluctuatione coniiciendi locus relictus est, excusari posse putarim: *Hic exuberantis id quidem operis;* nam eo adduci ne summorum quidem virorum iudicio possum, ut illum Coniunctivi usum a nostro loco non abhorrere censeam: est enim oratio non tam sibi diffidentis et cum modestia enunciantis, quam firmiter asseverantis. Certe, si alia ratio ineunda est, malim: *esset.* — *quae sint materiae.* Etiam hic discrepant nonn. Codd. et editt. vett. Camp. Iens. Tarv. in quibus datur: *sunt;* quod non displicuit Frotsch. Acquiescendum esse puto in vulgat. — *et secundo.* Flor. inserit: *in.* — *quo robustiorum.* Ita Turic. Contra *robustorum.* Flor. Alm. acc. nunc Paris. 1. 2. 6. Libri editi omnes: *quo iam robustorum.* Credo illud *iam,* quod est in Guelf. ex antecedenti *etiam* huc esse transpositum; nam in eo non haerendum esse puto, quod *comparativus* hoc loco cum *positivo* coniunctus vel huic oppositus legitur, si quidem pueri h. l. intelliguntur *infirmiores.* Deinde si quis ponere malit, *interpretis* cuiusdam esse illud *iam robustorum*, equidem ego de gloriola hominis detrahere nolo; utpote qui, si qua unquam, verum viderit: quamquam non celaverim, accuratius dictum fore: iam *corroboratis viribus*, quo significantius temporalis particulae *iam* exprimeretur potestas. Similis aetatium significatio apud Tacit. Ann. I, 3. extr. *iuniores — senes.* — *sed, de quo agitur.* Nemo non hic *anacoluthi* speciem agnoscet, ex ipsa parenthesi Quinctiliano haud dubie inscio, exortam, cuius generis centum amplius exempla suppeditat oratorum summus Cicero, praesertim ubi enunciationes explicativae interseruntur. Cfr. Goerenz. ad Fin 1, 12, 40. — *facilitas.* Ex vulgari scribarum errore in paucis Codd. Tur. a sec. m. Goth. et in editt. Camp. Basil. *facultas;* cfr. supra III, 10. — Ceterum alii aliter locum tentarunt: quorum sententias vel coniecturas satis sit enumerasse. Scilicet Gesn. substitui volebat *hoc* pro *quo,* quod est in contextis; Genslero probabile videbatur *iam* pro *nam;* Hermannus cfr. Frotsch. ad h. l. edit. maj. p. 166. verba: *sed* etc. cum sequenti enunciatione: *verterè — iudicabant* — connectenda esse suadebat. Cui si quis adsentiat, ei certe legendum erit *venit,* pro *veniat.*

§. 2. *iudicabant.* Ex Tur. Flor. et Alm. Frotscherus nuper revocavit: *iudicarant.* Sed cfr. vers. Germ. p. 175. 76. — *id Cicero.* Ne mirentur tirones, in Camp. exseri: *idcirco.* — *id Messalae.* Apud Obr. *idem.* al. *Marco* id *M.* Ita Iens. et editt. ante Basil. exc. Camp. Verum notum est literam *M.* ubi est *praeno-*

ceronis de oratore libris dicit factitasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit: quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos. Id Messalae placuit, multaeque sunt ab eo scriptae ad hunc modum orationes: adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis subtilitate contenderet. Et manifesta est exercitationis huiusce ratio. Nam et 3 rerum copia Graeci auctores abundant et plurimum artis in eloquentiam intulerunt: et hos transferentibus verbis uti optimis licet: omnibus enim utimur nostris. Figuras vero, quibus maxime ornatur oratio, multas ac varias excogitandi etiam necessitas quaedam est, quia plerumque a Graecis Romana dissentiunt.

B.) Sed et illa ex Latinis conversio multum et ipsa 4 contulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare: quo solo genere exercitationis dicitur usus esse Sulpicius. Nam et sublimis spiritus attollere orationem

*minis* signum, tum ex praecedentis vocis litera finali, tum ex initiali sequentis in contexta irrepsisse. Exemplo erit locus a Drakenb. ad Liv. VI, 16, 4. exagitatus.

§. 4. *sed et illa ex Latinis conversio.* Quid ex hac structura Graeci eluceat coloris, sentient vel iuniores; quid inaffectati nec dedecorantis, animadvertent aliis locis comparatis, quorum natura aliquanto diversa est; veluti Tacit. Ann. I, 3. Germanicum *octo apud Rhenum legionibus imposuit.* Cfr. Matth. Grammat. gr. maj. §. 396. Stallbaum ad Phileb. p. 30. ad Euthyphr. p. 101. Heindorf ad Cratyl. §. 85. et vers. Germ. p. 176. Not. 104. Pro *et illa* in multis editt. *etiam* ill. lens. et posterr. ante Basil. cum Goth. ex usu consueto. At quantum differat *et* ab *etiam*, cui a plerisque aequale habetur, accuratius definire posse vix videor, quam vocabulorum nostrorum distinctione: selbst et sogar. Quorum utrum gravius sit leviusve neminem fugit. — *non praesumunt.* Ita Codd. Tur Flor. acc. nunc Paris. 2. a pr. m. et editt. Basil. Burm. Gesn. et Bip. Alii vel *nec* Obr. solus, vel *et:* in qua lectione reliqui codd. et MSS. sibi constant, acc. nuper Paris. 1. 6. Amb. 2. et editt. ante Locat. Posterr. simpliciter: *praesumunt,* om. *et.* Sed quod est in Campan. *praesumit,* id prodiisse censeo ex perversa loci interpretatione, nimirum si quis de ipso spiritu altiore cogitaverit, ad quem haec ita enunciata referenda sint; quod si erat, tunc plenius ante *non praesumit* erat interpungendum. — Pro *eadem* in omnibus paene codd. datur: *eandem:* nempe confusionem exortam putes uti sexcentis aliis locis, ab importuno glossatoris studio congruentiae proximorum vocabulorum externae prospicientis.— *effusa.* Vulgo praemittunt: *et.* Obr. Gesn. c. priorr. Nostrum Spald. ex opt. Codd. et Camp.

potest; et verba poetica libertate audaciora non praesumunt eadem proprie dicendi facultatem. Sed et ipsis sententiis adiicere licet oratorium robur et omissa supplere, effusa substringere. Neque ego paraphrasim esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque aemulationem. Ideoque ab illis dissentio, qui vertere orationes Latinas vetant, quia optimis occupatis quidquid aliter dixerimus necesse sit esse deterius. Nam neque semper est desperandum aliquid illis, quae dicta sunt, melius posse reperiri: neque adeo ieiunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici nisi semel non possit. Nisi forte histrionum multa circa voces easdem variare gestus potest, orandi minor vis, ut dicatur aliquid, post quod in eadem materia nihil dicendum sit. Sed esto, neque melius quod invenimus esse neque par: est certe proximus locus. An vero ipsi non

§. 5. *paraphrasim.* Al. *periphr.* Iens. Tarv. proxime acc. Camp. Goth. formam Accusat praebet: *phrasin.* Spalding. nostram restituit scripturam ex Tur. Flor. et nonn. editt. vett. Vulgo scribebatur *Graecis litt.* Obr. Gesn. et priorr. — *vetant.* In Camp. *vetent*; sed huic Modo Campan. tanquam potiori saepe addictum reperies. — *neque semper desperand.* Alia apud Obr. leguntur, qui solus haecce exarari voluit: *et semper est sperand.*

§. 6. *nisi forte histrionum multa etc.* Locus in vetustissimis illis Codd. quos potissimum ductores secutus est Spald. Tur. et Flor. veluti deformi notarum illuvie inquinatus. Leguntur enim verba, sed ne sunt quidem, in Tur. *muta circa vetes eadem;* in Flor. *muta c. veteres ead.* Pariter in Guelf. *muta;* in Basil. ad marg. *mutus.* Quam equidem vocem non prorsus spernendam esse credo, ita tamen, ut si Codd. accederet gravior quaedam auctoritas, locum sic refictum vellem: *nisi forte histrionum est mutos circa easd. voces variare gestus, orandi minor vis.* — *post.* In Goth. *praeter*, quod amplexi sunt Iens. et posterr. ad Basil. Habeas non errantis sed interpretantis. — *esse.* Sic optimi Codd. et editt. vetustissimi. Reliqui: *sit.* Obr. Gesn. Adduxit exemplum Spalding. ex Horat. Epp. I, 1, 81. *esto* alios aliis studiis *teneri.* Cui quidem loco addere licet similem Sallustii Iug. c. 110. in. *fuerit* mihi *eguisse* aliquando amicitiae tuae. Quamquam neque verborum integritatem neque sententiae qualis perhibetur explicationem veram sponsione defenderem.

§. 7. *An vero ipsi non bis.* al. *nobis.* Iens. Tarv. (acc. Codd. Paris. 1. 2. 6.) et *an non* pro *an vero*; atque hoc praeter illos in multis editt. vett. al. pro *non* praebent *nos.* Goth. Voss. 2. Ald. et al. Nostrum proxime accedit ad Flor. Guelf. et est in plurimis editt. — *uno genere.* Sic opt. codd. et editt. ante Ald. qui *dunta-xat* subiunxit, probante Regio; reliqui inserunt: *tantum.* Obr. Gesn. Quod cur factum sit, caussam quaeras in *notione* numeralis

bis ac saepius de eadem re dicimus et quidem continuas nonnunquam sententias? Nisi forte contendere nobiscum possumus, cum aliis non possumus. Nam si uno genere bene diceretur, fas erat existimari praeclusam nobis a prioribus viam. Nunc vero innumerabiles sunt modi plurimaeque eodem viae ducunt. Sua brevitati gratia, sua 8
copiae; alia translatis virtus, alia propriis; hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. Ipse denique utilissima est exercitationi difficultas. Quid, quod auctores maximi sic diligentius cognoscuntur? Non enim scripta lectione secura transcurrimus; sed tractamus singula et necessario introspicimus et quantum virtutis habeant, vel hoc ipso cognoscimus, quod imitari non possumus.

II. Nec aliena tantum transferre, sed etiam nostra 9
pluribus modis tractare proderit: ut ex industria suma-

h. l. strictiore; etenim et alias saepe tale quid mente adiungendum est, veluti *pauci* i. e. pauci tantummodo. Cfr ad Sall. Cat. 18, 1. Omne enim *numerale* sive definitae sive indefinitae notionis, vel simpliciter s. absolute, vel cum conditione, ita ut ad aliud quoddam referatur, cui opponitur, usurpare licet. — *diceretur.* In nonn. priorr. editt. *dicetur* ex Guelf. Goth. et Voss. 3. et post in iisdem fere *erit* pro *erat.* — *viam.* Addunt nonn. Codd. et editt. vett. *in dicendo.*

§. 8. *Sua.* lens. dat: *sive — sive* et post eum reliquae editt. ante Bad. — *auctores.* Camp. *oratores.* — *Quid? quod — cognoscuntur?* Tur. Flor. uterque a prima man. cum Almel. exhibent *cognoscantur;* et hanc lectionem usurpavit Frotsch. Sed in tali conditione Coniunctivum ferri non posse et Ernesti exemplo comprobavit et Goerenz. assensu confirmavit ad Cic. Fin. V, 19, 52. Unde id unum colligere fas est, in aliis quoque locis similibus nonnisi caute et circumspecte *Subiunctivo Modo* adhaerendum esse, etiamsi a bonis libris commendetur. — *hoc ipso.* In Tur. Flor. a pr. man. est: *ipsi:* quod non admissum foret, nisi elegantiae quodam studio acti nescio qui librariorum putassent etiam hoc loco concedendum esse usui illi optimi aevi scriptoribus recepto, quo pronomen *ipse* ut ab alio maxime *personali,* cui additum est, casu differret lege quadam inviolabili sanctum erat. Vide praeter alios Oudend. ad Caes. B. G. II, 25. Drakenb. ad Liv. II, 19, 5. Sed et in illa regula observanda ne modus excedatur cavendum est. Cfr. Goerenz ad Fin. V, 10, 28. et quae nuper scite disputavit Kritz. ad Sall. Cat. 20, 6.

§. 9. *pluribus.* al. *plurimis.* Sic cum Goth. lenson. et posterr. usque ad Ald. acc. Bad. Confusio haud infrequens. Cfr. Quinctil. II, 13, 15. etiam *plures* et *plurimos* disces permixtos Supplem. Zumpt. p. 123. — *velut eadem cera in alias aliasque formas duci solet.* Locum ita exserere placuit, paullo diversum a vulgata scriptura; quae habebat: *aliae atque aliae formae* —

mus sententias quasdam easque versemus quam numerosissime, velut eadem cera in alias atque alias formas
10 duci solet. Plurimum autem parari facultatis existimo ex simplicissima quaque materia. Nam illa multiplici *personarum*, *causarum*, *temporum*, *locorum*, *dictorum*, *factorum* diversitate facile delitescet infirmitas, tot se undique rebus, ex quibus aliquam apprehendas offerenti-
11 bus. Illud virtutis indicium est, fundere quae natura con-

solent. Nostra lectio et editionis Campan. est, et aliquid firmamenti accipit tum a Codd. Turic. in quo leguntur: *in alia alias quae forma solent* a sec. m. *solet;* tum a Flor. quod certe in eo est: *in alias*; denique ab Alm. ubi datur: *in alia aliasque formas*. Sunt praeterea alia nonnulla argumenta, quae enumerare longum est: vide a nobis adnotata ad vers. p. 179. 80. Saepe eadem primi et sexti casus forma librarios in errorem deduxit; cuius rei prae aliis testis est locus Taciti Agric. 10. p. 183. edit. Walch.

§. 10. *Nam illa.* Consensus optimor. Codd. praeter Tur. Flor. Guelf. nunc etiam Paris. 1. 2. 6. et Amb. 2. quibuscum faciunt editt. Camp. Iens. Tarv. et codd. Voss. 1. 2. paene flagitare videbatur, quod et ab usu scriptoris non abhorret, ut omitteremus *in*, quod post Obr. Gesn. Spaldingius sua auctoritate tutatus est; post eum Frotsch. Gernh. Sed ut illud *in* a praecedenti litera *m* quemadmodum alias ab initiali sequentis originem traxisse haud incredibile est, ita ipse Quinctil. XII, 10, 15. nostram structuram adhibuit, dicens: *umbra magni nominis delitescunt.* Accedit, quod *in magna — diversitate* quum alio et paullo diverso accipiendum sit sensu, si quidem *in* cum Substantivo nomine coniunctum *conditionem* ac *statum* indicat, recte h. l. quaeritur, utrum magis ex scriptoris sententia et ex re dictum sit. Equidem *caussam* potius describi debuisse opinor, quam *conditionem aliquam*, quae non ponitur, sed illa locutione esse asseveratur. Ea enim illius structurae singularis et propria vis est, quam ne Kritz. quidem, pluribus de eadem re disputans, attigit. Cfr. ad Sall. Cat. 2. extr. et similem paene conditionem esse reperis Cic. de Senect. §. 5. *maturitate — caducum*; al. *in mat. — causarum.* Restituimus vulgatam scripturam, quod pluribus nominibus suspecta videbatur altera illa, quam de coniectura Spaldingii in contexta assumsit Frotscherus in edit. min. *rerum.* Tale quid coniiciendi copiam fecerunt Spaldingio Tur. Flor. et Alm. in quibus nostrum deest. Nonne enim, ut unum memorem, taedium te capiat repetitionis qualis est *rerum* et *tot undique rebus?*

§. 11. *virtutis.* Ita vulgo legitur, quamquam invitis Codd. certissimae alioquin fidei Tur. Flor. Guelf. acc. Paris. 1. 6 Amb. 2. qui omnes exhibent *virtutem.* Cuius immutationis caussam saepenumero deteges in simili vel antecedentis vel subsequentis vocabuli terminatione. — *θέσεις.* al. formis literarum Latinis: *thesis:* scilicet in vocabulis *graecis* scribendis librarii propter inscitiam monstrosa fere finxerunt corpora: quorum exempla proposuit quam plurima Spengel ad Varronem de Lingua Lat.

tracta sunt, augere parva, varietatem similibus, voluptatem expositis dare et bene dicere multa de paucis.

In hoc optime facient *infinitae quaestiones*, quas vocari θέσεις diximus, quibus Cicero iam princeps in republica exerceri solebat. His confinis est destructio et 12
confirmatio sententiarum. Nam quum sit sententia decretum quoddam atque praeceptum; quod de re, idem de iudicio rei quaeri potest. Tum *loci communes*, quos etiam scriptos ab oratoribus scimus. Nam qui haec recta tantum et in nullos flexus recedentia copiose tractaverit, utique in illis plures excursus recipientibus magis abundabit eritque in omnes causas paratus. Omnes enim 13
generalibus quaestionibus constant. Nam quid interest, *Cornelius tribunus plebis quod codicem legerit*, reus sit: an quaeramus, *Violeturne maiestas*, *si magistratus rogationem suam populo ipse recitaverit? Milo Clodium*

§. 12. *destructio.* In Camp. exaratum legitur: *restrictio*,— effictum ad exemplum codd. Tur. Flor. in quibus est: *restructio. de re.* Editt. Iens. et posterr. ante Basil. et al. nonn. cum G[illegible] uti plerumque nuper acc. Paris. 2. exhibent *reo*, sententia prorsus in aliam conversa. Quod quo iure factum sit, tu ipse videas. — *idem.* Apud Iens. et qui eum amplexi sunt ante Ald. datur: *id est*, ex errore in libris scriptisp assim obvio. Cfr. Burm. ad Suet. Oct. 32. Drakenb. ad Liv. 5, 4, 5. Scribere solebant per compendium *idē*, quo discisso euatae sunt duae voces *id ē*; at posteriore nota significabatur *est*. Vid. Drakenb. ad Liv. 8, 4, 5. Gernh. ad Cic. Senect. §. 56. — *paratus.* Ante Obr. legebatur: *gratus*; in Iens. Tarv. mirabile dictu: *Gracchus.* Nostrum est ex emendatione Gebhardi, quae quam apta sit orationi ac sententiae auctoris, apparet. At si scripturas Codicum, quales cernuntur in Tur. *omnis causa scratas*, in Palat. *seratas*, in Flor. *eratas* consideres, nonne et te mecum aliquid dubitationis incessat? Scilicet malim: *armatus*; quod quum facile commutari poterat in *auratus*, et hoc in *aeratus*: quidni statuamus ex hoc latibulo depravatam istam scripturam irrepsisse: *eratas*. Nam si poëtam aliquem in manibus haberemus, ipsum illud *aeratus* sensu translato dictum lubenter acciperemus. Cfr. locum Propertii ab editore noviss. Thesauri Ling. lat. laudatum s. v. *aeratus.* Neque enim *erma facundiae, eloquentiae* dicere scriptor noster absurdum duxit. Cfr. II, 16, 10. V, 12, 21.

§. 13. *iudicium: an.* In Guelf. Voss. 3. acc. Amb. 2. et edit. Iens. cum posterr. ante Ald. excidit *an*, approb. Bad. Lapsus est fortasse librarius propter similes ductus literae *m* praecedentis, a qua saepe interceptam esse *in* particulam compertum habemus. Similem errorem ex acie oculorum languescente exortum brevi post agnosces in eo quod in Tur. et Flor. scriptum est: *non nisi insidietur*.

*rectene occiderit*, veniat in iudicium: an, *Oporteatne insidiatorem interfici vel perniciosum reipublicae civem, etiamsi non insidietur? Cato Marciam honestene tradiderit Hortensio:* an, *Conveniatne res talis bono viro?*

14 De personis iudicatur, sed de rebus contenditur. *Decla-*

§. 14. *similes.* Tur. Flor. *similibus.* Cfr. supra ad §. 4. ex perverso illo ac stupido accommodationis studio, cui librarios tanto plus deditos habeas, quo magis interpretandi pruritu erant intacti. — *non tantum dum adolescit profectus.* Nisi omnia me fallunt, vindicandum esse censeo Quinctilianum a vitio redundantiae et frigidae cuiusdam dictionis hic admissae crimine: quod tametsi nonnisi exsecatis aliquot membris fieri potest, tamen medelam tentasse iuvabit. Quid enim illud est quod in Tur. et Flor. legitur: *adulescent inventus?* ex quo corrigentis manum finxisse: *adulescet iuventus*, nemini mirum videbitur. Idem exhibent Camp. Alm. Bodl. Andr. nisi quod *adol.* Sed ut totum locum qualis nunc in libris exstat, respuam, mirum quantum animo et amore Quinctiliani impellor. Nam primum eo offendor quod scriptum est: *adolescit profectus.* Scio equidem, *profectus* dici *teneros, firmiores* etc. I, 2, 26. II, 3, 10. scilicet quo *modus* indicetur ex comparatione conspicuus: omnium enim *profectus* inter se *pares* esse nequeunt. At cogites, quid non dico *repugnantiae*, sed *redundantiae* et *otiosi* insit isti locutioni: *profectus adolescit?* Ipsum illud *proficere* nonne est *adolescere?* Neque enim proficientem dicas retrogredi; at qui *progreditur*, idem etiam proficit viribusque adolescit. Deinde quid est quod infra legitur: *quum est consummatus* ac — *clarus?* Qui quaeso ille est *consummatus?* — Nempe supplendum est nomen atque eliciendum ex antecedenti *profectus*, ita ut per Enallagen generis seu notionis *concretum* usurpatum sit pro *abstracto.* At eo hoc certe loco non confugitur nisi contra naturam et ingenium scriptoris: nam in tota quae proxime antecedit oratione ne verbo quidem commemoratur ille quem instituebat vel puer vel adolescens. Nam *profectum* intelligere *consummatum*, id quod vehementer *Sarpio* et post eum *Frotschero* et *Gernhardio* placuit, pariter usus loquendi Quinctiliano sollemnis atque quae vocabulo *profectus* propria est notio vetare videbatur. Etenim artificem et oratorem et professorem *consummatos* dici sermonis ratio patitur; verum quum omnes *profectus* cum conditione dicantur, utpote qui fiant pro virium modulo, consummati ex rationis legibus appellari non possunt; nam *consummatio* ea est, quae ad virtutis qualiscunque speciem perfectam proxime accessisse cogitatur. Vt brevi complectar: *profectus actionis* est vel *actus*; non *operis;* id quod unum *consummari* potest. Itaque *professores* illi *consummati* Instit. I, 9, 3. satis placent, quos commutari iussit Sarpius in: *profectus.* Quae quum ita sint composita, auctores sequendos esse censeo uti alias praestantissimos duces Codd. Tur. et Flor. et locum ita refingendum: *non tantum adolescenti sunt util.* Scilicet quod legebatur *adolescenti*, quum ambigue dictum ab aliquo haberetur, explicatum cogites adiecto *dum adolescit;* vel etiam illud *dum* ex repetitu vel male audito *tantum* enatum credas. Porro quod nunc profertur *pro-*

*mationes* vero, quales in scholis rhetorum dicuntur, si modo sunt ad veritatem accommodatae et orationibus similes, non tantum dum adolescit profectus, sunt utilissimae, quae inventionem et disputationem pariter exercent, sed etiam quum est consummatus ac iam in foro clarus. Alitur enim atque enitescit velut pabulo laetiore facundia, et assidua contentionum asperitate fatigata renovatur. Quapropter *historiae* nonnunquam ubertas in aliqua exercendi stili parte ponenda et *dialogorum* libertate gestiendum. Ne *carmine* quidem ludere contrarium fuerit: sicut athletae, remissa quibusdam temporibus ciborum atque exercitationum certa necessitate, otio et iucundioribus epulis reficiuntur. Ideoque mihi videtur M. 16

*fectus*, id merum interpretamentum censeo vocis infra positae: *consummatus*. Adscripsit nescio quis: *provectus*, quod additamentum et perperam scriptum et in alienum locum transpositum novi erroris caussam existimes. De confusione literarum *f* et *v* a librariis sexcenties commissa vid. Drakenb. ad Liv. 21, 2, 4. Denique quod est in Tur. et Flor. monstrose effictum *inventus* equidem non absonum puto a prima manu exhibitum fuisse: *iuveni*. Quod si conceditur fuisse, tunc vel propius vero crediderim verba: *dum adolescit* ab interprete profecta esse, scilicet laborante in coniunctione tam affinium vocabulorum, quamquam *adolescentem hominem* dicere satis tritum erat. — *enitescit*. In duob. Codd. Goth. et Voss. 2. scriptum est: *nitescit*; quod et ipsum in Codd. et editt. permiscetur cum *mitescit*. Quinctil. IX, 4, 5.

§. 15. *epulis*. Videbis innoxiam quandam, immo elegantem fictionem nominum a librariis tentatam: in Tur. et Flor. erat: *et ullis*; inde formarunt: *eduliis*. Bodl. Palatin. Gebh. Vocabulum haud infrequens, praesertim posterioris aevi scriptoribus, Suet. Calig. 40. Sed *otium* et *epulae* optime consociantur; sunt enim illae exquisitiorum ciborum. Cfr. Goerenz ad Cic. Fin. II, 28, 90.

§. 16. *quotidiana*. De antiqua huius et affinium vocabulorum scriptura h. l. monemur a Codd. Tur. Flor. in quibus est: *cotidian.* vel *cottid.* quam scribendi rationem nuper revocarunt viri clariss. Frotscher. Beier. Kritzius, in suis quisque libris quos edendos curarunt. Sed nos in re tam lubrica tamque incerta a vulgari usu deflectere noluimus. Iam vero quid sit illud *alia* quod ante *pugna* insertum praebet praeter Codd. supra dictos Almel. quaerere haud ineptum sit. Duplex rei expediundae data est via; aut ad marginem annotatum putes: *alias*, scilicet quo significetur scriptionis varietas, quae esse soleat vocabuli *quotid.*, aut *alia* credas depravatum ex *illa*, commixtione satis nota. Cfr. Drakenb. ad Liv. 23, 7, 3. Illud levioris aestumes momenti; nam tantam cuiquam librariorum religionem fuisse vix credibile est: hoc ne relicias velim tanquam offensus iterato pronomine.

Tullius tantum intulisse eloquentiae lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit. Nam si nobis sola materia fuerit ex litibus, necesse est deteratur fulgor et durescat articulus et ipse ille mucro ingenii quotidiana pugna retundatur.

17 Sed quemadmodum forensibus certaminibus excitatos et quasi militantes reficit ac reparat haec velut sagina dicendi: sic adolescentes non debent nimium in falsa rerum imagine detineri et inanibus se simulacris usque adeo, ut difficilis ab his digressus sit, assuefacere, ne ab illa, in qua prope consenuerint umbra, vera discrimina
18 velut quendam solem reformident. Quod accidisse etiam

§. 17. *exercitatos.* al. *excitatos.* Camp. praeeunt. Codd. Tur. Flor. Guelf. c. Almel. Quid caussae fuerit, quod posteriorum nemo tanta vestigia presserit, vel usus dicendi excusabit, cuius erat: *certaminibus, bello exercitari,* sic Caes. B. G. VIII, 25. *exercitata bellis regio,* vel mos librariorum per compendium scribendi *ex'citus* i. e. *exercitus.* De qua re consulendus Drakenb. ad Liv. 39, 1, 5. — *in falsa.* Campan. omittit *in.* Vtraque structura Latinorum est, sensu tamen aliquanto diverso. Ita Quinctil. IX, 2, 63. *oculi diversarum aspectu rerum magis detinentur.* Cfr. ad §. 10. — *ut difficilis ab his digressus sit.* Ita locum restituit Frotscher. ex Codd. et editt. vetust. quum antea vulgatum esset: *ut difficile ab his digressos sit assuefacere;* quae quamquam contorta et implicata ratio tantum auctoritatis nacta erat, ut ne Spalding. quidem quidquam mutare conaretur. Sed in optimis libris est: *digressus;* in Guelf. cum quo conspirant Paris. 1. 2. 6. et Ambr. 2. cum Goth. et Voss. 2. 3. *difficilis;* in Tur. Flor. Alm. *difficilius.* Negotium modo facessit illud *assuefacere:* quod ut aptaret reliquae orationi, Frotscher. inseruit *se inanibus* inter et *simulacris:* id enim facile potuisse obliterari. Similem prope conditionem reperies Liv. 29, 32, 5. Zumptio magis arridet: *assuescere.* In Basil. datur *assuefieri* ex coniectura Philandri. *Assuefacere* utri potissimum casui iungatur, tertio an sexto, et saepe decerni non potest propter similitudinem formarum, et ipsa codicum varians scriptura suspicionem auget. Attamen quae nostri loci ratio sit, satis liquet. Iam vero, si licet uni alterive sententiae calculum adiicere, nihil mutandum censeo: *assuefacere* esse putes et *voluntatis* et *consuetudinis* et *socordiae* cuiusdam ac *timiditatis:* quam quo acerbius insectetur Quinctil., dicere maluit: *se assuefacere,* cui inest culpae notio, quam *assuescere,* quod fit casu ac fortuito. Ita Cic. Brut. 2. arma *quibus me assuefeceram.* Nostrae explicationi vel maxime favent tum exemplum allatum, tum quae paullo infra efferuntur praecepta.

§. 18. *etiam Porcio.* Quum Codd. Tur. Flor. insertum ostentent *in.* Spalding. bene gnarus librariorum ingenii, coniecit scriptum fuisse a prima manu: *M.* praenominis signum: scilicet id facile intercipi potuit ab antecedenti litera, praesertim quum in

Porcio Latroni, qui primus clari nominis professor fuit, traditur: ut quum ei, summam in scholis opinionem obtinenti, causa in foro esset oranda, impense petierit, uti subsellia in basilicam transferrentur. Ita illi coelum novum fuit, ut omnis eius eloquentia contineri tecto ac parietibus videretur. Quare iuvenis, qui rationem inve- 19
niendi eloquendique a praeceptoribus diligenter acceperit, quod non est infiniti operis, si docere sciant et velint, exercitationem quoque modicam fuerit consecutus: oratorem sibi aliquem, quod apud maiores fieri solebat, deligat quem sequatur, quem imitetur; iudiciis intersit quam plurimis et sit certaminis, cui destinatur, frequens spectator. Tum causas vel easdem, quas agi audierit, stilo et 20

codd. vett. *nomina* initialibus literis non distinguebantur. Videndus Goerenz. ad Cic. Fin. IV, 24, 66. Vtcunque res accidit, unde illud *in* emanaverit, in aperto est.

§. 19. *infiniti operis.* Prorsus contrarium dant Codd. Tur. Flor. Guelf. c. Goth. et 3 Voss. et post Camp. editt. lens. Tarv. in quibus: *finiti.* Nihil morandum: optimum consultorem habemus et sensum auctoris et usum dicendi. Cfr. I, 38. — *velint.* Ita Flor. Alm. acc. Goth. et Voss. 2. Variant Codd. et editt. modo *velut* Tur. Camp. acc. Paris. 1. 6. modo *vel in* Guelf. acc. Ambros. 2. modo *vel* exhibentes lens. et posterr. ante Basil. Haec cum reliquis ante Obr. acc. Rollin. uno alterove omisso, orationem ita continuat: *sciant* et *exercitat* etc.

§. 20. *utrimque* al. *utrumque.* Post Codd. Tur. Flor. Guelf. acc. Goth. ex editt. Camp. cum posterr. ante Gryph. Sed quid sit, recte desideratur: itaque *utrimque* locum merito obtinet, quod quid significet ita explicavit Wolff. „*ut sumat personam et accusatoris et defensoris.*" Cfr. supra I, 22. — *decretoriis.* Taedet paene referre in quam monstrosas a librariis vocabulum quodque immutabatur formas, cuius sonum aures vulgi quale sua cuiusque aetate erat, rarius vel primum percipiebant: neque usui est omnia commenta enumerare. In nonn. est *derectoriis;* quod discerptum in duas partes effecit: *de rectoriis;* inde fictum: *rhetoriis.* Praeposuerunt alii *in;* unde mira species exorta: *in rebus actis;* quod exhibent editt. Gryph. Stoer. et al. Postremo audiendus Obr. qui dat: *dextris et laevis;* quod quamvis incerti auctoris ingenium certe prodit. Nostrum tueri Vall. Voss. 2. Goth. et Nicol. Fabrum ad Senec. Controv. Lib. 4. Praef. affirmat Spald. ad h. l. Item apud Senec. Epist. 117. haec leguntur: Remove ista *lusoria* arma, *decretoriis* opus est. Eadem Suetonio dicuntur *pugnatoria.* Calig 54. — *orationibus.* Camp. habet: *actionibus.* Eandem vocabulorum confusionem notavit Spalding. ad IV, 1, 32. Cuius quidem loci similis cum nostro intercedit ratio; in utroque enim brevi post subsequitur vocabulum *actio*, quod ipsum opportunitatem *errori* admittendo dedisse crediderim. — *Cestius.* In nominibus propriis librarios alium alio moveri ac per-

ipse componat vel etiam alias, veras modo, et utrimque tractet et quod in gladiatoribus fieri videmus, decretoriis exerceatur, ut fecisse Brutum diximus pro Milone. Melius hoc quam rescribere veteribus orationibus, ut fecit Cestius contra Ciceronis actionem habitam pro eodem, quum alteram partem satis nosse non posset ex sola defensione.

21 Citius autem idoneus erit iuvenis, quem praeceptor coegerit in declamando quam simillimum esse veritati et

misceri omnia et supra vidimus et hic locus testatur. In Flor. et edit. Basil. legitur nostrum; in Guelf. *tertius*; Goth. et Ienson. cum postefr. ante Basil. dant: *Sextius*. Reliqui: *Sestius*, in quib. Obr. Sed cuiusnam generis iste fuerit, cui etiam apud alios nomen est *Cestius*, optime nec sine fructu cognoscent tirones ex loco M. Senecae, olim a clariss. Wolfio citato, ex Senec. Controvers. III. Praef. p. 399. edit. Bipont. quem hic repetere non absonum censeo: „Pueri fere aut iuvenes scholas frequentant. Hi non tantum disertissimis viris, sed etiam Ciceroni *Cestium* suum praeferrent, nisi lapides timerent. Quo tamen uno modo possunt, praeferunt: huius enim Declamationes ediscunt; illius Orationes non legunt nisi eas, quibus Cestius rescripsit. Memini me intrare scholas, quum recitaturus esset *in Milonem* Cestius.“ — Id ideo dictum est, ut appareat, quam fuerint mores immutati, quam longe a prisca elegantia et casto dicendi genere aberratum: deinde ut abhorreant adolescentes probi atque ingenui a levitate et inscitia Graeculorum, quales aetas illa tulit, optima quaeque et eloquentiae et cuiusvis virtutis exempla temere ac proterve insectantium, — *satis*. In nonn. editt. est speciosa quaedam forma: *litis*. Camp. Ald. Gryph. al. cfr. Burm. ad h. l. Scil. nexae fuit librariis scriptura Codd. Tur. Flor. Almel. *sitis*: saepenumero enim confusas esse literas *l* et *s* praeter alios docent Bentlej. ad Horat. Sat. II, 7, 82. et Drakenb. ad Sil. Ital. 2, 3. et 5, 660. Ita ex. c. *signum* et *lignum*, *laevus* et *saevus*.

§. 21. *idoneus*. Vulgo praemittebatur *sic*; quod respuit Spalding. cum Codd. Tur. Flor. Alm. et Camp. Quin etiam in Ienss. Tarv. et in nonn. Codd. quibuscum nunc consentiunt Paris. 1. 2. 6. Ambr. 2. exhibetur: *si*, quod uti passim in libris commutatum cum *sic*, cfr. Bentl. ad Horat. III, 24, 5. ita a nostro loco prorsus alienum est. Equidem facile adducor, ut olim scriptum fuisse putem: *hic*, sive pro adverbio sumas, sive pronomen sit; sed illud magis probarem, ut sit: *in hac rerum conditione, ad hunc usum*. Cfr. Goerenz ad Cic. Fin II, 8, 23. — *aut maxime favorabilia*. Pro *aut*, quod tuentur Campan. et Tur. a sec. m. in plerisque editt. datur *et* max. Sed Spalding. id aspernatus, praetulit *ut* ex Tur. Flor. et Alm. Idem et defenderunt et retinuerunt Frotsch. et Gernhard. improbavit Zumpt. ad h. l., scilicet adversari sententiae scriptoris. Quae nos impulerint rationes, pluribus exposuimus ad vers. Germ. p. 188. — *obstant*. Ita Spald. ex consensu 3. illorum optimorum Codd. Tur. Flor. Guelf. Quae lectio

per totas ire materias: quarum nunc facillima aut maxime favorabilia decerpunt. Obstant huic quod secundo loco posui, fere turba discipulorum et consuetudo classium certis diebus audiendarum: nonnihil etiam persuasio patrum, numerantium potius declamationes quam aestimantium. Sed quod dixi primo ut arbitror libro, nec 22

quanto praestantior sit vulgata: *obstat*, et rerum quae memorantur diversitas et, nisi fallor, particulae *fere* singularis ratio demonstrant. — *fere*. al. *frequens*. Sic omnes libri editt. inde a Basil. quam qui praegressi sunt exc Ald. nostrum exhibent ex auctoritate Flor. Guelf. et alios. At *Campan.* dat: *fremens*, quod ut sit lepide dictum, vel propterea non ferendum est, quod laxiori disciplinae morem gessisse Quinctilianum haud inepte inde colligi posset; sed quantum id absit ab ingenio tanti doctoris, quam eo indignum, suus quemque sensus edocet. Etenim *fremens* turba concionum esse solebat, cfr. XII, 5. 6. X, 3, 30. non scholarum.

§. 22. *sustinere*. In pauc. editt. *sustineri*. Sed cfr. I, 2, 15. ubi haecce leguntur: Sed neque praeceptor bonus maiore se turba, quam ut *sustinere* eam possit, oneraverit. — Imprimis id considerandum est, quod quantum quis sustineat numerum, non ex universa quadam lege definiri potest, sed ex sua cuiusque vel indole vel peritia vel doctrina. Itaque haud male Spald. coniiciebat: num post *quam* inserendum sit *quem*. Verum id non adeo opus esse praeter alia evincitur exemplis a Ramshorn. allatis ad §. 155. p. 309. edit. I. — *inanem*. Vulgata lectio: *nimiam;* in Tur. enim est: *animam*, in Flor. *animiam*. Nostram Spalding. revocavit ex Campan. et quod supra X, 3, 2. eodem nomine loquacitas insignitur. Adde quod omnis *loquacitas nimia* est i. e. vitiosa, a qua tamen distinguas *copiosam loquacitatem*, VIII, 2, 17. h. e. *inexhaustam* quandam et *indefessam;* et, quod bene observandum, progrediente opere librariorum intentio ac diligentia, si qua fuerat, remittere ac languescere solebat. Vnde haud miraberis, vel in singulis libris, quo celerius ad finem pergerent, a librariis tanto plura et omissa et vitiis inquinata esse. Itaque non anxie haerendum est in illis scripturis Codd. Tur. et Flor. — *quidam*. Haec scriptura plurimor. Codd. et omnium editt. praeter Spalding. qui ex Tur. et Flor. recepit: *quidem*. Cfr. supra III, 11. Eum secuti sunt Frotsch. Gernh. A quibus ut dissentirem, et vulgatam servarem, id maxime impulit, quod isti *quidam* et sententia auctoris et ipsa re nihil adversantibus intelligi possunt *doctores quidam umbratiles*, quos discernas a *bono praeceptore*, quem dixit Quinctil., etenim non eadem omnibus constitit ratio, quamquam una optima esse debuit. Deinde *volunt* Spalding explicat: *iuvenes declamantes* hoc ita voluisse vel potius *velle visos esse*. Verum de *iuvenibus illis* nec antea disseruit Quinctil nec cur ex oratione praecedenti eos potissimum arcessamus, idonea ratio suppetit; denique non *omnes* adolescentes ita velle asseri poterat. Quare etiamsi iuvenes intelligere alicui placeat, tamen *subiectum* omissum offensioni erit: nam ubicunque aliquem aliquid *velle* contenditur, ibi *personae* praecipua quaedam ratio habeatur necesse est. — *materias divid.* In nonn. datur: *materiam*. Tur. Camp. c. Bodlej.

ille se bonus praeceptor maiore numero quam sustinere possit onerabit: et inanem loquacitatem recidet, ut omnia quae sunt in controversia, non, ut quidam volunt, quae in rerum natura dicantur: et vel longiore potius dierum spatia laxabit dicendi necessitatem vel materias dividere
28 permittet. Vna enim diligenter effecta plus proderit quam plures inchoatae et quasi degustatae. Propter quod accidit, ut nec suo loco quidque ponatur nec illa, quae prima sunt, servent suam legem: iuvenibus flosculos omnium partium in ea quae sunt dicturi congerentibus: quo fit, ut timentes ne sequentia perdant, priora confundant.

Andr. Alii insertum praebent *sibi*, sed retinent pluralem numerum. Ita lensbn. cum posterr. ante Bad. et nunc Paris. I. An fortasse legendum *ibi*? i. e. *tunc*. Terent. Andr. II, 3, 5. sed si tu negaris ducere, *ibi* omnem culpam in te transferet. Cfr. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 1, 79.

§. 23. *vna enim*. Complures codd. illustrioris familiae Tur. Flor. Guelf, et al. et editt. vett. omittunt has duas voces; Locat. cum posterr. ante Bad. solum dat: *una. — quidque*. Nulla frequentior confusio quam *pronominum*. Ita et h. l. in Tur. et Flor. c. Alm. est *quicquid*; a sec. m. in Tur. *quicquam*; quod Campan. recepit cum editt. ante Gryph. De permutatione horum vocabulorum et quae sit illorum differentia cfr. Interprett. ad Sallust. Cat. V, 3. attamen non ubique tam facilis est diiudicatio quam hic.

# CAPVT VI.

## DE COGITATIONE.

*De eius vi et natura. Quomodo ipsa comparetur. In extemporalitate non superstitiose cogitatis inhaerendum esse.*

Proxima stilo *cogitatio* est, quae et ipsa vires ab hoc 1
accipit et est inter scribendi laborem extemporalemque

§. 1. *Inscriptio* abesse putatur a Tur. Flor. de Campan. id quidem certum est. Est in Guelf. Goth. lens. et posterr. Respuerunt Obr. Gesn. — *cogitatio.* Nulla hic memoratur lectionis neque varietas neque diversitas: quae utinam contigisset librorum constantia loco illi iterum iterumque exagitato X, 1, 1. sed ne adhuc quidem quamvis multorum tentaminibus extra omnem dubitationem posito. Quare iam tempus esse videtur meum quoque de re ambigua iudicium proponere, ne temere egisse videar, dum Spalding. partes me in illo loco sequi fas esse putavi. Et primum quidem non vidimus, cur statim ab exordio libri adeo dormitasse statuamus librarios, ut qui optimorum auctores codicum praedicantur, Tur. Flor. Guelf. non distinxerint *cogitationem* a *cognitione:* quamquam passim hae voces inter se permutatas esse post alios docuit Goerenz. ad Cic. Fin. V, 21, 58. coll. III, 6, 21. Deinde quae sit *cognitio* quaeritur: num *theoria* quam dicunt? At ea ipsa in *praeceptis sita est;* an *scientia* quae proprie vocatur? Nonne vero mire dictum est: *cognitioni necessaria,* quum ex consueta loquendi ratione dicatur: *rei* vel *operi* vel *personae* aliquid necessarium? Ita Prooem. §. 21. ne minora quidem illa, verum *operi* quod instituimus, *necessaria* praeteribo. Cfr. I, 10, 2. Cur itaque consuetudinem receptam reliquisse cogitemus Quinctilianum, utpote cui si universam praeceptorum cognitionem oratori instituendo necessariam esse significare volebat, dicendum erat: *ad cognoscendum;* vix enim locus reperiatur, ubi *cognitio* nullo addito nomine *rei* s. obiecti quod spectet, posita sit pro *arte* vel *disciplina* vel notione quam vocant *concreta* et *obiectiva.* Quodsi vero de *subiectiva* notione cogitas, ut sit *cognoscendi facultas,* qualis est apud Cic. Fin. III, 6, 21. *cognitione et ratione;* de Offic. I, 44, 10. *cognitio* et *scientia,* tunc haec sententia non tam fuse lateque patere debebat; restringeretur necesse erat ad officium *oratoris instituendi.* Provocant quidem qui alteram scripturam *cognitioni* defendunt, ad exordium libri VIII. ubi haec enunciata leguntur: rationem *inveniendi* atque inventa *disponendi per omnes numeros penitus cognoscere ad summam scientiae necessarium est; cognitionem* idem significare dicentes quod *summam scientiae.* Ve-

fortunam media quaedam et nescio an usus frequentissimi. Nam scribere nec ubique nec semper possumus: cogitationi temporis ac loci plurimum est. Haec paucis admo-

rum liceat signare notionum et vocabulorum differentiam. *Summa scientiae* nihil aliud describit nisi *perfectam* et *plenam artis cognitionem;* id quod tum aliunde tum ex Prooem. §. 6. elucet, ubi id sibi esse propositum disserit Quinctil. *ut per omnes, quae modo aliquid oratori futuro conferant artes, ad summam* eius operis perducat. Cfr. ibid. §. 5. Porro num credibile est, Quinctilianum duobus proximis libris confectis, in quos elocutionis praecepta contulerat, novum ab eadem sententia exorsum esse, quam in principio totius argumenti proposuerat, *digna esse haec praecepta, quae cognoscantur?* Vti haec a nemine in dubium vocabantur, ita bis repetita frigent. — At illam *cognitionem* interpretari licet, uti nuper a Geruhardo factum esse vidimus, *scientiam artis rhetoricae,* (Kenntniss der Theorie der Bereds.) cui apte opponatur *vis dicendi*, quae *usu et tractatione paretur.* — Non resisto, dummodo ostendatur exemplis *cognitionem* simpliciter dictam tantam et tam gravem declarare notionem. Nemo enim facile ex tota antiquitate reperiatur scriptor post Ciceronem, qui praecepti illius Ciceroniani tam memor fuerit et tam tenax, *in dicendo vitium vel maximum esse, a vulgari genere orationis, atque a consuetudine communis sensus abhorrere* de Orat. I, 3. quam Quinctilianus: quare cur hominem tam diligentem existimemus ultra proprietatis fines in vocabulo adhibendo excessisse? Contra quid est *eloqui?* Ipsum audiat Quinctilianum ita rem definientem: *est omnia quae mente conceperis promere atque ad audientes perferre.* VIII. Prooem. §. 15. Atqui *cogitatio* nihil aliud est nisi illud, *mente concipere,* cuius atque *orationis* eadem est conditio et naturalis quaedam consociatio, qualis corpus inter atque animum intercedit; ita ut utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio egeat. Iam vero *vis illa dicendi* longe alia est quam *bene dicendi ars;* ea enim est *eloquentia:* nam qui *cum vi* dicit, graviter loquitur ac sensus animosque hominum commovet; *maxima enim pars eloquentiae constat animo.* I, 2, 30. Vnde manifestum est, duo illa enunciationis membra non ita inter se differre, quasi iis contineantur diversa, cuius generis sunt *praeceptorum scientia* s. *cognitio* et *usus* (Theorie u. Praxis) sed eodem modo quo *antecedens* et *consequens*, *caussa* et *effectus.* Neque enim quis opinetur, *cogitationem* nonnisi eam esse, quam separatim tractaverit Quinctil. c. 6. latius enim patet. Cfr. VIII. Prooem. §. 27. *haec infelicitas cursum dicendi refrenat et calorem cogitationis exstinguit mora et diffidentia* Et II, 4, 15. recte *extemporalis garrulitas*, *nec exspectata cogitatio* i. e. subita, notantur — Postremo quum cogitatio, qualem hic describit Quinctil. arctissime cohaereat cum *stilo* sive *scribendi* exercitatione quid est absoni in illa sententia, quam in capite totius libri posuit scriptor? Num ulla vel scribendi vel cogitandi exercitatio esse potest sine certa aliqua et cognita forma ac specie rectae atque emendatae orationis? Ergo ipsa *cogitatio* est, cuius partes a scriptore nostro enumerantur X, 1, 4. non uti nonnullis visum est, *cognitio.* Neque ad aliam sententiam me vel invitum trahit illud quod supra dictum est I, 2. qui

dum horis magnas etiam causas complectitur: haec, quoties intermissus est somnus, ipsis noctis tenebris adiuvatur: haec inter medios rerum actus aliquid invenit vacui

autem *scivit* etc. coll. §. 4, quasi verbum adhibitum *scire* necessario requirat *cognitionem*, sic ut contradicere vel dubitare impudentis sit ac temerarii. At ego tam procul sum, ut huic rationi, utpote omnium levissimae concedam, ut nihil magis offendat animum, quam eiusdem sententiae ad taedium usque repetitio; quam quominus elegantissimo scriptori intrudamus, verecundia prohibet. Scilicet *illa scientia quid aliud est*, quam solidum et quo carere nequeat nec debeat *cogitatio* fundamentum? — *accipit et est inter.* Ita Spalding, cum priorr. quamquam refragante iudicio, utpote cui codicum indicia respicienti magis probaretur: *estque;* quam coniecturam in contexta recipere Frotsch. non dubitavit; eum nuper secutus est Gernhard. Sed quum in Tur. et Flor. aperte legatur *quae* post *accipit*, (hoc quidem variante scriptura *accipiet* et *accipet*,) unde corrigentis manus finxit in Tur. *quod*, in Flor. inseruit: *et est* quae: facile apparet, quid potissimum codd. auctoritate firmum sit, quid invalidum. Atqui delendum esse censemus illud *est*, quod non modo spuriae sed spurcae originis habemus; quo eiecto, substituimus *atque*. Quae particula uti eleganter h. l. vim suam *explicativam* obtinet, cfr. Goerenz ad Cic. de Fin. I, 10, 34. p. 47. ita quomodo exciderit, non difficile est ad intelligendum: innumeris enim locis a syllaba praecedenti vel similis vel eiusdem soni subsequens intercepta est. Itaque huius particulae ope singulorum enunciationis membrorum eam cogita constitutam esse rationem, ut verba inde ab *atque* in singulis *cogitationis* et virtutibus enumerandis et commodis, secundum locum obtineant, cui tertium quid additur, sed paullo diversum, quum nonnisi ex sententia dictum sit auctoris verbis: *et nescio an usus* etc. — Quod suspicabatur Spalding. *estque* tali membrorum vel consecutioni vel compositioni parum conveniens crediderim, ut taceam fastidiosam iterationem verbi *est;* quod quum superiore loco a Cod. Flor. omissum sit, ita coniectandi uti factum est, cl. Spaldingio opportunitatem dedisse videtur. Sed ne in his quidem acquiescendum esse puto: ultra progrediamur et bono animo legamus: *ut quae ipsa vires — accipiat.* Iam vero ut scriptorem ne violasse, sed ab iniuria, si qua erat illata, vindicasse videamur, optamus. — *usus frequentissimi.* In Camp. et Goth. Paris. 2. et Voss. 2. est; *frequentissimus.* Tur. et Flor. dant: *unus* et post *freq.* addunt *vim:* nempe id monstri exstitisse credas ex literarum formis passim inter se commutatis: *m* et *n* et *v*. Ita ex. c. *muneri* et *numeri*. Liv. 2, 41, 2. *movetur* et *novetur*, cfr. Goerenz de Fin. IV, 9, 22. p. 449. *notus* et *votus*. Id. 5, 13. 7. — *nec ubique*. In pauc. Codd. Flor. Guelf. Ambr. 2. *non*. ex commixtione in manuscriptis haud rara. Cfr. Drakenb. ad Liv. 5, 54, 2. — *vacui, nec otium*. In Guelf. c. Voss. 1. 3. Bern. et Amb. 2. legitur *vacuum otium* In lens. et editt. posterr. ante Ald. *vacuum ot non pat.* Denique in Camp. pro *patitur* exhibetur: *patiter*. Sed haec leviora sunt ac facilia emendatu: magis labores si inspexeris Codd. Tur. et Flor. in quibus miri quiddam oculis subiicitur: v. n. *experientium:* in qua scriptura latere videbatur

2 nec otium patitur. Neque vero rerum ordinem modo, quod ipsum satis erat, intra se ipsa disponit, sed verba etiam copulat totamque ita contexit orationem, ut ei nihil praeter manum desit: nam memoriae quoque plerumque inhaerent fidelius, quae nulla scribendi securitate laxantur.

Sed ne ad hanc quidem vim cogitandi perveniri pot-
3 est aut subito aut cito. Nam primum facienda multo stilo

Spaldingio: *patitur otium*, facili transpositione; at *Frotschero*, cui ista non satis erat transposuisse; *nec perire otium patitur*. Ego equidem putarim non alienum esse a re ac sententia scriptoris: *nec expers est otii*. Nam ne vetustatis quidem, si qua esset auctoritas tantum apud me valeret, ut illa; *nec otium patitur* loci ac temporis haberem: plane abhorrere videntur a sententia scriptoris. Contra ut verba: *non patitur* ab interprete profecta habeam, quibus ille vocem *expers* explicaret, facile adducor.

§. 2. *quoque*. Abest a Guelf. et pro *nam* in Cod. Tur. et in Camp. est *namque*, quod a Frotsch. in textum est receptum. Sed si quandoque aurium sensui aliquid in oratione componenda tribuendum est, de quo nemo dubitabit, non poenitebit accessisse ad exemplum Cod. Flor. qui praebet: *nam et*, atque cum Guelf. omittere illud *quoque*, ita ut verba sic se excipiant: *Nam et memoriae plerumque* etc. Attamen ne arrogantius egisse videremur, modo alia admittenda interpunctione a Spalding. recedere placuit, apud quem pariter atque apud priorr. fere omnes exaratum legitur: *nam mem. quoq.* etc. — *fidelius quae*, praemissa plena interpunctione. Pluralem numerum ex auctoritate Camp. nec prorsus repugnantibus Codd. Tur. Flor. Guelf. acc. Par. 1, 6. Amb. 2. in quibus est *que*, etiam in verbis *inhaeret — laxatur*, quae scriptura est omnium Codd., nuper restituit Frotsch. cui adsentitur Gernhard. Sint ista, modo ne scrupulus quamquam tenuior tibi resideat intuenti Codicem Tur. qui dat: *memoria*: quae lectio nescio an altera illa potior sit habenda, et quae etiam ex re plus habeat commendationis: nam et *laxari* et securitas magis *memoriam* spectat quam *res*, neque *inhaerendi* notionem absurdum est ad animum transferre. Cfr. XI, 2. 6 ubi *proxima* dicuntur *excidere*, *vetera inhaerere*. Ibidem *memoria manere* effertur, quod haud inepte comparare licet nostro *inhaerere*. Itaque si placet, suppleas: *memoria rerum*, vel *memoria inhaeret rebus*. Illud probabilius. Igitur si haec ita disputata non displicent, locum ad hoc exemplum effingas: *nam et memoria plerumque inhaeret fidelius, quae nulla scribendi securitate laxatur*.

§. 3. *nos etiam cogitantes*. Ienson. praebet: *incogitantes*, et posterr. ante Ald. qui mutavit in: *nec cogit*. Utrumque respuendum; illud enim unde enatum sit patet; hoc non erat corrigentis, sed credulі. — *augenda vis*. Ita Spalding. sententiam et orationem scriptoris adiuvit, quum in reliquis esset: *usu* pro *vis*; idque factum est suadentibus codd. Tur. et Flor. Quid h. l. sit *continere*, optime Quinctil. ipse explicat infra c. 7, 24. non minore studio *continetur* haec facultas quam *paratur*. Sed quoniam locus

forma est, quae nos etiam cogitantes sequatur: tum assumendus usus paulatim, ut pauca primum complectamur animo quae reddi fideliter possint: mox per incrementa tam modica, ut onerari se labor ille non sentiat, augenda vis et exercitatione multa continenda est, quae quidem maxima ex parte memoria constat: ideoque aliqua mihi in illum locum differenda sunt. Eo tamen pervenit, ut 4

admonet, tironum gratia notam aliquam apponam, qua dignoscatur *retinere*: scilicet hoc respondet verbo *parere*, quod est sibi parare vel sibi aliquid efficere cum *sensu voluptatis* inde percipiendae atque maioris eadem de caussa si quid acciderit, detrimenti accipiundi. Itaque senties quam ad rem dictum sit illud Sall. Cat. 2. imperium facile his artibus *retinetur*, quibus initio *partum* est.

§. 4. *pervenit*. Spalding. recte ad h.l. monet, ne quis verbi *impersonalem* aliquam potestatem a scriptore hic admissam esse comminiscatur, quod non magis nostro loco factum esse adfirmat, quam infra c. 7, 19. Perquam optato eveniret, quantum equidem sentio, si codd. vel levissimis indiciis copiam facerent genus verbi *activum* cum *passivo* commutandi, tum nostro loco, tum altero illo simili, praesertim quia forma passiva sensu impersonali s. absoluto scriptoribus valde frequentata est, maxime in verbis motum significantibus, veluti *ire*, *redire*, *venire* etc. Ceterum cfr. ad c. VII, 3. et 10. de confusione generum Verbor. dicta, ac fere ubique a nostro scriptore subiectum proprio nomine appellatur. Quod si placet cum Spaldingio subaudire loco subiecti vocabulum *res*, nihil contradico; sed nonnisi aegre talem ellipsin in Quinctiliano fero. Quare non ita violenta translatione verborum locum ita refingere liceat: *Eo tamen perveniet* (ita enim modestius iudicatum censeo) *is, cui non ref. ingen. ut acri stud. etc.* Nam in geminato *ut* nemo facile offendet, qui aliquam cum scriptoribus veteribus inierit familiaritatem. Cfr. ad Caes. B. G. 1. 6. in. — *ei tam*. Sic Spald. ex coniect. Reliqui: *ut ea etiam*. In Codd. Tur. et Flor. *ut ei etiam*.. quae quidem scriptura eiusmodi est, quam ad normam Spaldingianam plenius ita expressam velim: *ut ei et tam* etc. Scilicet alteram illam particulam correlativam *et* suppressam cogites statim subsequenti *quam*. Nempe errant qui *tam — quam* nihil esse putent nisi *copulativi* generis: *adverbiis* adnumeres gradum significantibus. — *quam quae*. Pariter atque locus modo commemoratus ex auctoritate Tur. (a pr. man. *quamque*) a Spalding. subtiliore iudicio restitutus. Vulgata lectio erat: *quaeque*, nisi quod Obr. dederat *aeque ac quae*, nimia quadam licentia usus. Gesnerus locum ita refingi iubebat: *ut eandem quae cogitaverit — fidem servent*. Sed nihil mutandum; unum est, quod si cui displiceat, excusationis non prorsus erit expers: dico pronomen *ei*; sunt enim fortasse quibus rectius videatur: *sibi*. Cfr. Gronov. et Drakenb. ad Liv. 31, 11, 12. — *Scepsium*. De nomine certi aliquid prodi nequit; scimus enim a librariis plus quam in aliis in hoc vocabulorum genere omnia misceri solere. Ceterum *Scepsin* urbem in Troade sitam fuisse tironum gratia commoneo. — *Empylum*. Sic Tur. Flor. Per varios casus librarii alii ad alia nomina componenda delati sunt, quorum *Emphylum* et *Eriphylum*

is, cui non refragetur ingenium, acri studio adiutus tantum consequatur, ut ei tam quae cogitarit quam quae scripserit atque edidicerit in dicendo fidem servent. Cicero certe Graecorum Metrodorum Scepsium et Empylum Rhodium nostrorumque Hortensium tradidit, quae cogitaverant ad verbum in agendo retulisse.

§ Sed si forte aliquis inter dicendum effulserit extemporalis color, non superstitiose cogitatis demum est inhaerendum. Neque enim tantum habent curae, ut non sit dandus et fortunae locus, quum saepe etiam scriptis ea,

tanquam notabiliora commemoro. Ceterum ut eximii fuerint rhetores illi arte sua et admiratione digni: nostra parum nunc quidem interest scire quo loco vel nati fuerint, vel artem suam professi sint, quoniam de iis per totam antiquitatem siletur.

§. 5. *aliquis.* Burmanno placuit exhibere: *alicui*, quia in Codd. Tur. Flor. (acc. Ambr. 2.) et Voss. 1. 3. praebetur: *aliqui*. Sed Dativo casui non bene convenit verbum *effulgere*, cuius notionem simpliciter s. absolute usurpare praestat, praesertim quum tota enunciatio in universum sit prolata et ad omnes pertineat. — *effulserit.* In Guelf. *obfulxerit;* Goth. dat: *effluxerit.* Verum tum huic libro utpote inferioris dignitatis non ita multum tribuendum, tum uti *ss* saepe commutatum est in *x*, ita idem simplici literae accidisse exemplis illustravit Drakenb. ad Liv. 6, 32, 10. et 21, 62, 4. — *color.* Quum in Tur. et Alm. exhibetur *cohors*, Burmann. suspicabatur: num *colos* antiquae scripturae fuerit; improbat Spald. et aliud quid sibimet ipsi tanquam iudici subiicit: *aliqui — effulserint colores*: Sed modo prolatam sententiam idem ille damnat. Sed haec ipsa exempla animum nobis confirmant, ut peritiores saltem consulere audeamus: num malint: *aliquid — extemporalis coloris?* Certe propria illa verbi *effulgere* nota, quae subiti quid ac repentini sed non adeo diuturni designat, non repugnare videtur coniecturae nostrae. Postremo satis sit lectores commonefacere dubitationis, quam scriptura et notio *coloris* nobis habere aliquando videbatur. Cfr. adnotatt. ad vers. Germ. p. 191. 92. Numquid mecum sentis de *calore?* Sed quem sero consuluisse bona fide confitemur, eandem de *aliquid* sententiam proposuit Frotscher. in Observatt. crit. in quosd. loc. Quinctil. Lips. 1826. p. 34. — *regredi.* Hanc scripturam post Camp. et ex auctor. Tur. a sec. m. et Palat. Gebh. revocavit Spalding. pro vulgat. *redire.* Sed facile mecum diligentiores dignoscent quid intersit inter *regredi* et *redire*: hoc enim nonnisi eius est qui necessitate aliqua ad pristinum locum vel propositum vel consilium reverti cogitur, etiamsi id sponte factum esse videatur; certe ratio est quae impellit. Contra *regredi* et *digredi* otiosi magis est ac securi et qui libera utitur voluntate; itaque fit ad libitum et pro arbitrio. Itaque perquam apte ac convenienter dictum est: *a quo incepto me ambitio mala detinuerat, eodem regressus.* Sall. Cat. 4. Contra cum conditione aliquanto diversa: *ad propositum redire;* ad *antiqua reditum est.* Liv. 2, 54. *illuc redeamus.* Cornel Ages. 4, 3.

quae subito nata sunt, inserantur. Idcoque totum hoc exercitationis genus ita instituendum est, ut et degredi ex eo et regredi in id facile possimus. Nam ut primum est 5 dome afferre paratam dicendi copiam et certam, ita refutare temporis munera longe stultissimum est. Quare cogitatio in hoc praeparetur, ut nos fortuna decipere non possit, adiuvare possit. Id autem fiet memoriae viribus, ut illa, quae complexi animo sumus, fluant secura, non sollicitos ac respicientes et una spe suspensos recordationis non sinant providere: alioqui vel extemporalem temeritatem malo quam male cohaerentem cogitationem. Peius enim quaeritur retrorsus, quia dum illa desideramus, 7

§. 6. *refutare.* Mire ac paene misere rem planam atque apertam detorserunt atque tricis suis implicarunt librarii, utpote qui exhibuerunt in Tur. Flor. c. Alm. *res futuri*; unde a man. corrig. in Flor. *refutari*, quae lectio in pluribus codd. locum obtinuit et in lens. c. posterr. ante Ald — *ut illa.* In Campan. et Goth. item in editt. ante Ald. acc. Bad. Gryph. legitur: *ea.* Simile quid passim reperitur in manuscriptis veluti Cic. Cat. maj. §. 16. pro *illa* in nonn. Codd. est: *illi ea* §. 25. pro *id* datur: *illud.* §. 84. pro *eos* al. *illos.* Cfr. Parad. §. 1. 2. Attamen vel ex nostro libro didicimus rarius haec duo pronomina inter se commiscere consuevisse librarios quam *hic* et *is*, in quibus non tam confundendis quam permutandis animo quodam obstinato ac fere pervicaci librariorum veluti singulae familiae sibi constitisse censendae sunt. — *sumus.* Camp. dat *simus* acc. Goth. et editt. ante Basil. quibus adsentiuntur Par. 1. 2. Nostram tuentur Turic. et Paris. 6. et quod summum, ipsa sententiae ratio: etenim non est: quae animo complecti *licuerit*, sed quae vere complecti *libuit.* — *non sollicitos et.* Coniecturarum promendarum et hic spatium fuit. Gesnerus offendens in particula *non* maluit *neque* et pro *non*, quod infra repetitur *nos.* In lens. et posterr. compluribus datur: *ne sollic.* In Tur. et Flor. est: *sollicito sic.* Itaque si qua emendatione indigeret locus, mallem: *non sollicito* scil. animo, *sic ut resp.* Neque violentia foret *secura* mutare in *securo.* Sed quoniam illud *sic*, quod exhibent Codd. Tur. et Flor. oriri potuit, uti passim exempla docet, ex voce *et* praecedente litera *s* attracta, quumque huiusmodi *Epexegesis* Quinctiliano non insolita sit, id quod ad h. l. adnotavit Wolff. ad plurimorum suffragia accedendum esse puto, quamquam quid *duri* loco insit, in sensus animumque incurrit; nam quum omnia pendeant tanquam consequentia ab illo: *id autem fiet memoriae viribus*, non bene reliqua enunciationis membra illum effectum describere, sed aliud quid, quod extra caussam positum habeas, enarrare videntur.

§. 7. *dum illa.* Ita Spald. ex opt. Codd. et Camp. In reliquis omnibus *quum i.* Idem in aliis locis sibi condonarunt librarii, inter se permutantes *cum* et *tum* et *dum.* Cfr. Gernhard ad Cat. maj. p. 80. et p. 269. Drakenb. ad Liv. 24, 35, 4. — *si*

ab aliis avertimur et ex memoria potius repetimus quam ex materia. Plura sunt autem, si utrumque quaerendum est, quae inveniri possunt quam quae inventa sunt.

*utrumque.* Intelligit Wolff. et quae *memoriae* mandaveris, et quae *extemporalis* tibi suppeditabit facultas; sed accuratius haec referuntur ad *memoriam* et *materiam;* quam utramque modo commemoravit Quinctil. Verum lectio non eadem est Codd. et editt. In Camp. et editt. posterr. ante Bad. exhibetur: *si strictius utr.* Geanerus maluit *utcumque* pro *utrumque*, ita ut esset: *quovis modo;* at tunc Spaldingio probabilius videbatur: *utique.* In Tur. et Flor. reperitur: *strutius utrumque*, a corrigentis manu transformatum in *strictius*, quod nuper Gernhard. in textum recepit, non obtemperans Frotschero, qui: *sicubi nobis utrumque* legendum esse suaserat. At nos, uti illud *strictius* longe abesse putamus a sententia scriptoris ac minime convenire notioni *quaerendi*, qualis h. l. constituitur, ita eadem coniiciendi libertate usi suspicati sumus, priscam ac sinceram scripturam fuisse: *utriusque alterum*: nam quam facili ac levi oculorum lapsu enclitica *que* vocabulo *alterum* adnecti potuerit, vicinia docet verbi *quaerendum.* Cfr. Drakenb. ad Liv. 41, 2, 11. ubi longos exemplorum ordines explicatos reperies. Certe, si non prorsus ingenio langueo, magis ferendum est *citius* quam *strictius.*

# CAPVT VII.

## DE FACVLTATE EX TEMPORE DICENDI.

*I. Haec facultas commendatur. II. Quomodo paretur. Huc facere A) artem, B) studium; ex quo utroque existere usum irrationalem (ἄλογον τριβήν): C) etiam imagines rerum animo concipiendas et nonnulla alia. III. Quomodo conservetur. — Pauca alia adduntur.*

I. Maximus vero studiorum fructus est et velut praemium 1
quoddam amplius longi laboris, *ex tempore dicendi fa-*

§. 1. Inscriptionem Tur. hanc praebet: *Quemadmodum extemporal. facilitas pateretur;* Guelf. Goth *q. e. facultas paretur et continuatur;* atque ita reliqui omnes editt. ante Gesn. exc. Obr. Vterque enim orationem continuam inscriptionibus singulorum capitum interrumpere noluit: eos hac ex parte ductores secutus est cl. Spalding. — *praemium quoddam amplius.* Non sollicitor eo quod in Tur. Flor. Guelf. pro *praemium* datur: *primus*, non magis quam illo *quillam* vel *quid*, quod in iisdem aliisque exhibetur pro: *quoddam*: sed gravius quid committere putabam, si *amplissimum* cum Spalding. et priorr. multis reddidissem. Potius habui accedere ad exempla vetust. editt. ante Stoer. et insistere vestigiis Codd. praesertim quum Quinctiliano illa Comparativi forma haud inusitata sit, et nescio an magis notioni singulari pronominis adiecti *quoddam* sua natura conveniens. Ita ex c. Institutt. VIII, 3, 83. *amplior virtus;* XII, 10, 5. *amplius atque augustius.* — *vix.* Camp. exserit: *nec*, cum Ald. — *bona fide.* Hanc lectionem post Tur. Flor. (a pr. m.) Camp. denuo amplexus est Frotsch. Recte eum fecisse putamus, quamquam nos alia quaedam ratio impulit, quam quae exponitur a Ramshorn. p. 252. edit. prior. Scilicet *bona fides* ex iis virtutibus est, quas si originem vel fontem respexeris, non tam ab ipso homine profectas esse reperies, sed *neutrius* generis, ut ita dicam; non magis naturae illae debentur quam institutioni ac disciplinae. Itaque non dubito hanc veluti legem promulgare, cui num ubique locorum ab antiquis obtemperatum sit, explorent sagaciores: Genitivum casum maxime pertinere ad eas artes vel bonas vel malas, ex quibus libera hominum voluntas fit conspicua et manifesta, sic ut in aliqua *elaborasse* homines dici possint; contra ubi nulla eiusmodi apparet virium intentio ac studium, nulla talis rei patrandae vel efficiendae ac personae enitentis atque elaborantis consortio: ibi contenti simus Ablativum adhibuisse, cuius conditio fere eiusmodi est, quae

*cultas:* quam qui non erit consecutus, mea quidem sententia civilibus officiis renunciabit et solam scribendi facultatem potius ad alia opera convertet. Vix enim bona fide viro convenit auxilium in publicum polliceri, quod in praesentissimis quibusque periculis desit: ut intra portum

particulas aequet *cum* vel *in*. Huius generis exemplum prostat Sallust. Catil. 11, 8. *illi corruptis moribus;* et si quem non taedet in hisce argutiis, quo nomine a nonnullis compellantur, versari, eum Ramshorn. cl. in exemplis allatis consuluisse non pigebit. Ceterum quod ad h. l. cl. Gernhard. monuit, *bona fide* si quis admittat, *ambigue* dictum esse, id me non assequi aperte profiteor, praesertim quum verbum quod sequitur *polliceri* tale quid ferre vir ille doctiss. neget. At ego contra statuerim illud ipsum verbum vel maxime antiquam scripturam vel requirere vel confirmare. Nam utram potissimum eligam, quum duplex pateat via, num *bona fide* ad *virum* an ad *polliceri* referam, etiamnum ambigo. Vtraque certe ratio scriptore nostro haud indigna. — *quod in.* Praepositionem omittunt Guelf. Camp. (Ambr. 2.) cum Goth. et editt. ante Basil. — *intra portum.* Vix operae pretium est repetere vulgatam lectionem, quae ut quam fieri possit celerrime eiiciatur, primus exstitit auctor et suasor Spalding. Ita vulgo habebat: *ut monstrare portum, ad quem navis accedere nisi len. ventis acta non possit.* Sed testimonia optimorum Codd. ac reliquam quam a librariis subierit locus sortem accuratius perscrutanti sollicita quodammodo mens haesit, num intra iustos constiterit fines crisis Spaldingiana: quae si a culpa non prorsus vacua reperiatur, facilem nobis quoque tanti viri auctoritas similis vitii commissi excusationem parabit. Cfr. Adnotatt. ad vers. p. 193. Nimirum Codd. Tur. Flor. Guelf. (acc. nunc Paris. 1, 2. 6. Ambr. 2.) cum Camp. et pluribus Codd. inferiorum gentium, et editt. ante Ald. acc. Basil. constanter persistunt in scriptura: *intrare.* Eam Aldus de coniectura Regii mutavit in: *monstrare*: unde Badius, ut propius accederet ad pristinam lectionem, finxit: *indicare.* Illud *ut*, quod paene necessitate impositum videbatur, debetur *Gryphio.* Iam pro *portum ad quem navis accedere* etc. in Tur. Flor. est a prima manu: *portum at* al. *intra possum navis.* Opem deinde tulit, certe voluit, scripturarum vel compendiis vel mendis manus corrigentis, atque adscripsit in Tur. nihil nisi: *intra portum navis*, in Flor. *intrare portum ad quem navis accedere.* Iam videbunt tirones, unde vulgata lectio emanaverit; sed reputent etiam doctiores mecum, num rectius quid eruerim ex indiciis antiquorum testium loco ita constituto: *ut intra portum navis accedere — non possit.* Liceat paucis rationem reddere facti. Primum qua indiguerit interpretatione verbum *intrare*, ita ut librariorum aliquis addiderit *accedere*, prorsus non intelligo: proprium enim hac de re dicas verbum *intrare*, quo nullum aliud poterat esse clarius. Cfr. Cornel. Chabr. 4, 2. Deinde verba illa: *ad quem* non dubito quin a margine antiquissimi cuiusdam libri irrepserint in contextam orationem ex adscriptis: *at* quod ipsum exortum iudico a nota: *al* i. e. *alii* vel *alia* vel *aliae* sc. lectiones: quod quidem compendium Codici

navis accedere nisi lenibus ventis tecta non possit. Si- 2
quidem innumerabiles accidunt subitae necessitates vel

Turic. usitatissimum. Compertum vero habemus, librariorum naturam ita fuisse ad peccandum proclivem, ut semel delinquendi copia facta, praesens peccatum iterare non satis haberent, sed duplicare contenderent. Quare sive vocem *quem* ex ingenio scribae profectam putes, sive ex commutatis *at* et *atque*, quod veri similius crediderim, certe id non erit iniuriam intulisse librariis, si huiusmodi rationibus commoti a vulgata lectione recesserimus. Neque tamen *intrare* rebus ita constitutis intactum relinquere licebit; cedat loco saltem ex parte, et maneat *intra*: quod uti levi errore in *verbum* cognatum converti potuit, ita *intra portum accedere* consuetudini dicendi non repugnare optimorum scriptorum exempla docent, nostro loco non dissimilia. Ita Caes. B. G. VII, 8. legitur: *intrare intra praesidia;* Cornel. Ages. 5, 3. *intra moenia compellere;* Cic. de Orat. II, 34. nosse regiones, *intra quas venire* debeas. Pari iure dici poterat: *accedere intra portum*, quum facilis quidem navibus ad portum esse soleat accessus, quem intra intrare tum periculosum est tum nautis gratius et acceptius. Adde quae sit rei per imaginem hic descriptae ratio ac vide, quod sit *tertium* comparationis vulgo appellatum: quo facto nihil convenientius dici potuisse haud aegre tibimet ipse persuadebis.

§. 2. *accidunt.* In Tur. Flor. Camp. datur *accedunt.* Eiusdem confusionis centum amplius in aliis libris suppetunt exempla. Cfr. Corte ad Sall. Iug. 107, 6 Interprett. ad Suet. Caes. 20. Drakenb. ad Liv. 21, 10, 12. Idem accidit verbis *incedere* et *incidere.* Ceterum cl. Goerenz. ad Fin. I, 12, 41. monet longe frequentius *accidere* in *accedere*, quam hoc in illud mutari: cuius rationis quo deliteat causa, suum cuique prodet ingenium. — *apud magistratus, vel.* Omittunt haec Tur. Flor. c. Alm. Totas interdum voces vel etiam singula enunciationum membra certe articulos excidisse hic et alias constat, *quando voces statim semet ipsas excipientes pariter terminabantur eundemque referebant in cadendo sonum.* Sunt interdum eadem vocabula repetita. Quam quidem figuram rhetores appellabant ὁμοιοτέλευτον. Cfr. Aquila Roman. p. 169. edit. Ruhnk. a quo hocce profertur exemplum, quod tironum gratia transscribere liceat: In muros statim *curritur*, exercitus a sociis *arcessitur*, delectus iuventuti *denunciatur.* Huic σχήματι adfine est aliud, quod vocant ὁμοιόπτωτον, cuius vis sita est in similitudine casuum; veluti: Huic igitur socios vestros *criminanti*, et ad bellum vos *cohortanti* et omnibus modis, ut in tumultu essetis, *molienti.* Cfr. Ernesti Lexic. technol. rhetor. p. 41. Eandem materiam tractavit Quinctil. IX, 3, 77. sq. — *iudiciis.* In Flor. *iudicis* et a sec. m. *iudicibus*: quae casuum terminationes, *is* vel *iis* et *ibus* innumeris locis inter se confusae sunt; quid? quod eo usque socordiae ac stuporis librariorum nonnulli processerunt, ut a formis vocabulorum monstrosis non abhorrerent, qualis est *ventibus;* id quod paullo supra in Turic. reperitur. — *statimque.* Encliticam quam inde a Stoer. repudiant editt. restitui iubent tum optimi Codd. in quibus nunc quoque esse vides Paris. 1. 2. 6. Ambr. 2., tum Praedicatorum, quae dicuntur, ratio atque

apud magistratus vel repraesentatis iudiciis continuo agendi. Quarum si qua non dico cuicunque innocentium civium, sed amicorum ac propinquorum alicui evenerit, stabitne mutus et salutarem petentibus vocem statimque, si non succurratur, perituris, moras et secessum et silentium quaeret, dum illa verba fabricentur et memoriae in-
3 sidant et vox ac latus praeparetur? Quae vero patitur hoc

conditio: scilicet duo inter se discernuntur et *petentes* et *perituri*, quamquam una cogitatione comprehensi. Quodsi copulam encliticam respuis, verba illa: *statim — perituris*, nihil aliud enunciant nisi iudicium auctoris ideoque sunt ex genere *Epexegesis*.

§. 3. *ratio*. al. *oratio*. Iens. Tarv. praecedentt. Tur. Flor. Guelf. Nihil comperimus de Parisinis. Sed non opus est alienis praesidiis: ipsa se ratio fortiter defendit. — *ut quisquam possit orator aliquando omittere causas etc.* Ne cui virorum DD. immoderatius vel iactantius egisse videar, lectione ita vel emendata vel immutata, hanc caussae defensionem aequis iudicibus proponam. Vulgata erat: *ut quisquam sit orator imparatus ad casus:* fons unde ea effluxerat, erat edit. Campan. quamquam haud dubie, ipso Spaldingio asserente, a manu corrigentis. Longe alia exhibent Tur. Flor. Guelf. et praeter Paris. 5. 6. Ambr. 2. Goth. Voss. tres c. Alm. Bern. qui omnes *aliquando mittere casus*. Prope accedunt Iens. Tarv. in quibus: *aliquando mitteretur*. Tot et tam graves testes aspernari religio fuit cl. Spaldingio; itaque suspicabatur: *ut quisquam nesciat orator aliqua committere casui*. Burmannus tentaverat: *qui aliquando mutiret ad casus;* ingeniosum certe et ad sensum scriptoris. Frotschero placuit textui inserere haec: *ut quisquam possit orator aliquando mittere casus:* quae verba, quantumvis prope accedant ad codicum scripturam, idoneo sensu destituta esse Zumpt. ad h. l. contendit. At idem ille vir doctissimus non tam emendationis quam coniecturae loco, uti ipse fatetur, haec proponit: *ut quisquam sciat orator, qui aliquando incidere possint casus*. Verum quid illud sit: ratio *non patitur*, ut quisquam *sciat* orator — difficilius esse putarim exploratu. Atqui rationem *pati* quis est qui neget? Verum non *valere* contenderim. Deinde tale additamentum a scriptoris sententia alienum est: etenim utrum *sciat casus orator nec ne*, id levioris est momenti neque ad propositum pertinet; modo ne perturbetur et caussam susceptam prorsus abiiciat, ubi subitus aliquis casus praeter opinionem inciderit. Itaque non haesitavimus ex indicio Codd. assumere *omittere*, et pro *casus* adsciscere *caussas:* in qua permutatione admittenda et aliorum librorum exemplis, cfr. Drakenb. ad Liv. 37, 17, 7. et Codd. Turic. Ambr. 2. aliorumque adiuvamur. Cfr. Spalding. ad V, 11, 13. ubi pro: *Dissimile plures causas habet*, in multis MSS. et editt. datur: *casus*. Accedit quod alio loco eandem paene sententiam Quinctil. effert XII, 7. 6. his verbis: Neque vero pudor obstet, quominus susceptam quum melior videretur *litem*, cognita inter dicendum iniquitate, *dimittat*, quum prius litigatori dixerit verum. Scilicet antea legem

ratio, ut quisquam possit orator aliquando omittere causas? (imparatus ad casus?) Quid quum adversario respondendum erit, fiet? Nam saepe ea quae opinati sumus et contra quae scripsimus, fallunt ac tota subito causa mutatur; atque ut gubernatori ad incursus tempestatum, sic agenti ad varietatem causarum ratio mutanda est. Quid 4 porro multus stilus et assidua lectio et longa studiorum aetas facit, si manet eadem quae fuit incipientibus difficultas? Periisse profecto confitendum est praeteritum laborem, cui semper idem laborandum est. Neque ego hoc ago, ut ex tempore dicere malit, sed ut possit.

quasi oratori praescripserat hanc, ut *se portum eloquentiae suae salutarem* etiam *piratis* patefaciat, omnesque nullo proborum et improborum discrimine facto defendat. Vnde patet Quinctilianum persona oratoris haud indignum habuisse interdum *caussam susceptam dimittere;* verum id fieri voluit alia conditione quam quae est *ex casibus inopinatis.* Quae quum ita sint, quid contra est, quominus locum ita refinganus: *ut quisquam possit orator aliquando omittere causas imparatus ad casus?* Quodsi firmiore aliquo suffulciri posset fundamento, insertum pronomen *qui*, Cod. Paris. 1. hoc coniiciendi haud spernendam daret occasionem: *ut quisq. sit orator, qui aliquando omittet* caussas etc. scil. nihil frequentius quam confusio formarum verbi Passivi et Activi. Cfr. infra §. 6. ubi pro *dicet* in plurr. *dicetur.* Nam id mihi persuadere non potuit cl. Spalding. *imparatus ad casus* in Campan. ex supervacaneo additum legi, tum si specto verborum sententiam, et verissimam et orationi subsequenti vel maxime consentaneam, tum quod Campanum huiusmodi licentiae salva religione vix accusari posse censeo. Puto ipsam *παρονομασίαν* quam agnoscere licet in *caussas* et *casus* num alterumve praetermittendi copiam fecisse. — *ut gubernatori.* Deest *ut* in Tur. Flor. Saepe huius particulae omissae rei faciundi sunt librarii tum in *comparationibus* tum in *exemplis* adducendis. Vide supra §. 1. Caussam tamen haud improbabilem plerumque quaeras in vocum praecedentium syllabis extremis: *it, at, et, nt,* similibus. Cfr. Drakenb. ad Liv. 24, 16, 17. et Goerenz ad Fin. III, 9, 31. p. 350. Idem accidit infra §. 8. 10.

§. 4. *studiorum.* Tironum caussa monemus, in nonnull. Codd. Guelf. Paris. 2. 6. Voss. 1. 2. 3. Goth. legi: *studio*: sed talem praetermissionem extremae syllabae maxime in casibus nominum passim a librariis admissam esse adnotavit ad h. l. Spalding. Ita X, 1, 44. pro *ipsarum* in nonn. Codd. datur: *ipso.* XI, 3, 50. pro *iudiciorum* eadem forma quae supra. Quid inde passim erroris continuati, diligentiores non fugit. — *idem.* Abest a Turic. et Voss. 3. sed cur id vitiose factum habeas, rationem sufficit deprehendisse in notione Adverbii *semper*, (cfr. adnotatt. ad Sall. Cat. 43. 3.) siquidem ea est, quae tale adiectum patiatur. — *consequemur.* Sic Tur. Flor. Paris. 2. In Camp. et Paris. 1. 6. est: *consequimur.*

II. Id autem maxime hoc modo *consequemur.*

A) Nota sit primum dicendi via. Neque enim prius contingere cursus potest quam scierimus, quo sit et qua perveniendum. Nec satis est non ignorare, quae sunt causarum iudicialium partes, aut quaestionum ordinem recte disponere: quamquam ista sint praecipua: sed quid quoque loco primum sit ac secundum et deinceps: quae ita sunt natura copulata, ut mutari aut intervelli sine confusione non possint. Quisquis autem via dicet, ducetur

§. 5. *dicendi* In Tur. et Flor. nihil nisi varietas lectionis notis illis compendiis significatur: *at aliquendi.* acc. Alm. Quod quum in textum irrepsisset, suppressa altera illa scriptura, a sec. man. correctionis loco appositum est: in Tur. *alloquendi,* in Flor. *dicendi.* Campan. dat: *eloquendi.* Verum omnino dubito, num recte, certe proprie dicatur: *via eloquendi*: huius enim potius vocanda est *ratio. Viam* esse *ordinem* et maxime *disponendi artem* spectare et subsequentia et exempla docent. Ita IV, §. 3, haec disserit Quinctil. „Quae tam manifesta et lucida est ratio, quam rectae partitionis? sequitur enim naturam ducem, adeo ut memoriae id maximum sit auxilium, *via dicendi* non decedere." — *quae sunt — partes.* Gensler, maluit: sint: cui cur non obtemperandum sit, diversa huius enunciationis ratio et paullo infra sequentis declarat: *quid — primum sit. — quamquam sint.* Ita Spald. et qui eum secuti sunt ex Tur. Flor. Reliqui: *sunt.* Sed ne Ciceronem quidem hanc structuram repudiasse, quod a nonnullis olim efferebatur, hodie res omnibus fere notissima est: factum id est ab optimis scriptoribus tum in verbis ac sententiis alterius cuiusdam laudandis, de quo vid. Goerenz ad Fin. II, 22, 72. p. 230. coll. Legg. III, 8, 18. p. 238. tum quantum equidem viderim, sententiis vel iudiciis in universum enunciatis, ita ut suppleri queat: quamquam *vulgatum, tritum est, constat* etc. Quae ratio ac conditio quam affinis sit priori illi, nemo non videt. Ac fortasse liquet, cur non prorsus respuendus sit Coniunctiv. modus in loco Sallust. Cat. 3. ubi post *tamen etsi* necessario Indicativum requiri pro certo nuper posuit Kritz: cuius quidem sententiae etiam id opponere liceat, quod paullo infra legitur nullo codicum dissensu turbatum §. 17. *quamquam plurimum in se habent voluptatis,* maxime *tamen* etc. — *ac secundum.* Ita ex vestigiis non plane absconditis Codd. Tur. et Flor. locum refinxit cl. Spald. prorsus nunc adsentiente Ambr. 2. Vulgat. erat: *quid sec.* In Camp. datur: *quidque sec. — et deinceps.* Sic Spald ex Tur. et Flor. Reliq. *ac.*

§ 6. *Quisquis — via dicet.* Sic ex Flor. Spalding. Aliis aliter locum constituere placuit. Camp. dat: *viamque discet.* Idem paene Goth. Voss. 2. et pauci editt. exhibent: Ienson. cum editt. posterr. aute Ald. dat: *via ducetur.* Reliqui excusi, in quibus Obr. Gesn. inserunt: *viam qua ingrediendum sit discet;* sed haec unde hauserit Regius, qui primus in contexta induxit, explorari non posse dolet Spalding. At ne *discet* quidem ferendum esse censuerim: certe dici debebat: *didicerit. — huc illuc.* In Flor. a

ante omnia rerum ipsa serie, velut duce: propter quod homines etiam modice exercitati facillime tenorem in narrationibus servant. Deinde quid quoque loco quaerant, scient, nec circumspectabunt nec offerentibus se aliunde sensibus turbabuntur nec confundent ex diversis orationem, velut salientes huc illuc nec usquam insistentes. Postremo habebunt modum et finem, qui esse citra 7
divisionem nullus potest. Expletis pro facultate omnibus quae proposuerint, pervenisse se ad ultimum sentient.

B) Et haec quidem *ex arte*, illa vero *ex studio:* ut copiam sermonis optimi, quemadmodum praeceptum est, comparemus; multo ac fideli stilo sic formetur oratio, ut scriptorum colorem etiam quae subito effusa sunt reddant: ut quum multa scripserimus, etiam multa di- 8
camus. Nam *consuetudo* et *exercitatio* facilitatem ma-

sec. m. *hinc illuc*; a pr. man. in utroque: *illud*. — *usquam*. Camp. *unquam*. Persaepe inter se commutata vocabula. Cfr. Drakenb. ad Liv. 39, 31, 5.

§. 7. *proposuerint*. Flor. a sec. m. *proposuerunt:* idem ac Tur. mox pro *sentient*, exhibet: *sentiunt*. Ceterum languere orationem iudicabat Spalding. ad h. l. ex *copulae* defectu ante *expletis;* itaque Wolfio praemittenda videbatur *et*, Frotschero enclitica *que* adiungenda. Neutro remedio locum indigere demonstrare conati sumus ad vers. Germ. p. 195. — *effusa sunt*. Guelf. dat: *sint;* idem Paris. 1. 6. Ambr. 2. Praestare videtur. hoc Zumptio: sed uti tanto viro temere obloqui nefas puto, ita in vulgata scriptura facile acquiesco, vel propterea quod nemo offenderet in participio *effusa* simpliciter posito, non magis quam in praesenti *effunduntur*. Deinde verba non sunt *ponentis* vel animo *fingentis*, sed *rei naturam qualis est describentis*. — *etiam multa*. In Tur. est: *etiamque multa*, a sec. m. *quam* pro *que*. Inde Ienson. et posterr. ante Ald. *etiam qui*. Et ipsi cl. Spaldingio illud *quam* non displicuit; attamen in textum recipere dubitavit, id quod factum est a Frotsch. Nobis alia particulae notio videtur, quam quae hic admitti possit: denotat enim *mensuram* aliquam *indefinitam*, *vagam*, pro arbitrio ac rerum conditione vel extendendam vel restringendam: ea vero ratio a nostro loco abhorret, cuius natura ea est, ut *par pari* referatur idemque utriusque rei modus statuatur. Abest etiam *quam* a Flor. Praeterea contenderim particulae *etiam* tantam inesse vim, quae illam alteram particulam *quam* non adeo desideret.

§. 8. *sed ipsum os quoque concurrit*. Ne longi simus, liceat lectores ablegare ad ea quae pluribus exposuimus ad vers. Germ. p. 196. sq. Locus mutilus est, neque adhuc omnibus ex partibus nedum particulis ad pristinam integritatem restitutus. In diversas abierunt partes VV. DD. et nostrae et prioris aetatis. Vulgata scriptura haec erat: *sed et vúgxqua ipsum coit os-*

xime parit: quae si paulùlum intermissa fuerit, non velocitas illa modo tardatur, sed ipsum os quoque concurrit. Quamquam enim opus est naturali quadam mobilitate animi, ut dum proxima dicimus, struere ulteriora possimus semperque nostram vocem provisa et formata cogita-
9 tio excipiat: vix tamen aut natura aut ratio in tam multiplex officium diducere animum queat, ut inventioni, dispositioni, elocutioni, ordini rerum verborumque, tum iis quae dicit, quae subiuncturus est, quae ultra spectanda

*que concurrit.* Primus exstitit melioris lectionis restaurator Gesnerus quamquam timidior, siquidem in coniecturis haberi volebat haec, quae ad exemplar Spalding. exaravimus: *os quoque concurrit.* Et primum quidem vocis *νάρκημα* ne levissimum quidem in Membranis vestigium; originem et dignitatis locum quem diu obtinuit, *Badio* debet. Sed et *quoque* destitutum est auctoritate Codd. In Tur. et Flor. datur: *atque;* a sec. m. demum legitur: *coit atque concurr.* Atque haec scriptura omnes deinceps Codices inde a Guelf. invasit. Quae quum ita essent, necessitatem fere omnibus interpretibus impositam non recusavimus, ac meliora quaedam quaesivimus, quae reperisse putavimus in his; *sed ipsum os torpet atque concurrit.* Scilicet nobis persuasum erat, verba illa graeca contextis interposita a margine irrepsisse, in quo librariorum aliquis vel grammaticorum interpretationis loco adnotaverat: *εἰς νάρκημα coit.* Unum fortasse quaeritur, num illud additamentum potius ad verbum aliquod deperditum, quale est *torpet,* spectasse existimemus, an ad *concurrit,* quod integrum mansit? Alterutrum itaque fuerit necesse est, sive aliud quoddam verbum exciderit, sive *concurrere* explicatione indigere visum fuerit: *coit atque concurrit* a Fabio non scriptum esse, pro certo habeo; etenim non tantum iis inest redundantiae, quantum ieiuni ac frigidi. Contra illud quod proposuimus *torpet* aliquid commendationis habet ab similibus locis, veluti Cic, N. D. 1, c. 37. in. At ipsi tamen pueri, etiam quum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur: deum sic feriatum volumus *cessatione torpere,* ut si se commoverit, vereamur ne beatus esse non possit. Cfr. Horat Epist. I, 6, 14. — *ulteriora struere.* Dedimus haec inverso ordine; nam vulgo ita se verba excipiebant: *struere ult.* Vt id nobis concederemus, persuaserunt Codd. Tur. et Flor. quamquam in priore vocabulo mutili: quo facto tantum abfuit ut orationis Fabianae rivulos turbasse videremur, ut et diversis propius collocatis et notione primaria priore loco posita sententiae aliquid ponderis addidisse arbitraremur. Ceterum quid sit *struere orationem,* Fabium ipsum audias doctorem; est: *proxima quaeque subnectere,* et meditando et eloquendo. Cfr. VIII, 10, 7.

§. 9. *elocutioni.* Omittit Guelf. et quem cognovimus ei affinem Ambr. 2. c. Voss. 1. 3. Cfr supra ad §. 2. Modo pro *Dativo,* qui est in reliquis, Tur. Flor. dant: *dispositio.* cfr. supra ad §. 4.

sunt, adhibita vocis, pronunciationis, gestus observatione, una sufficiat. Longe enim praecedat oportet intentio ac prae se res agat: quantumque dicendo consumitur, tantum ex ultimo prorogetur: ut doneo perveniamus ad finem, non minus prospectu procedamus quam gradu, si non intersistentes offensantesque brevia illa atque concisa singultantium modo eiecturi sumus.

§. 10. *oportet.* Abest a Guelf. e. Voss. 3. acc. Ambr. 2. — *ut doneo.* Desunt in Tur. Flor. c. Alm. Cfr. supra ad §. 3. extr. — *perveniamus.* In Guelf. *perveniat.* Vide supra ad VI, 4. — *non minus — procedamus.* Haec omnia mirum quantum in optimis illis Codd. quos prae ceteris magni fecit cl. Spald. turbata et turpibus mendis referta reperiuntur. Habeas librarios istos, quibus haec farrago debetur, quasi sua quemque festinatione praecipites actos, de quo supra a nobis commemoratum est, vel longo itinere defessos viribusque exhaustos. Neque tamen illa vestigia quamquam vepretis circumsepta ita nos terrent, ut non aliquid inde luminis effulgeat. Scilicet suspicamur orationem ita olim ab auctore structam fuisse: *prorogetur, donec perveniamus ad finem*; sed (scil. in Tur. Flor. datur: *id unus*). *minus prospectu procedamus quam gradu, si non* etc. Verba *si non* in Tur. prorsus desunt, in Flor. sunt, sed a recentiore manu. Nimirum sententiam scriptoris in eo versari puto, ut animo quidem ultra spectare suadeat, neque in proximo quoque haerere dicentem velit, ita tamen, ut orationis progressus magis ex re fiat i. e. dicendo, quam meditando et futura prospiciendo: paripassu potius utraque ars incedat, et ultima quaeque sequentia repraesentare videantur; sed cavendum, ingenii festinatio ne tam praepropera sit, ut verba vel desint vel oratio interscissa et ad singultantium modum interrupta audientes offendat. Nisi prorsus fallimur, nonnulla ab experientia huius rei testimonia petere licet. — *eiecturi.* In Tur. datur: *eiecturi;* in Flor. *electuri;* ex confusione quam non infrequentem esse exemplis comprobavit Drakenb. ad Liv. 28, 36, 7. Burmann. suasit: *eructaturi;* verbum fere de rebus turpibus ac foedis usitatum, homine perpolito et eleganti minus dignum: Spalding. maluit: *eluctaturi,* id quod probavit Frotsch. et in textu illi substituit. Sed ego equidem ad illam sententiam accedere nefas puto, quum *eluctari verba* affectatae fere sit orationis; nam *verba eluctantia,* quae ex Tacit. Ann. IV, 31. exempli loco evocavit Spalding., ad nostram scripturam tuendam parum faciunt, propter *diversitatem subiectorum*, quae est in utroque loco. Itaque retinenda est lectio vulgata, quamquam magis arridet *eructuri:* quod utinam ne obsolevisset. Quod vero Spalding. censuit notioni verbi *eiicere* properi quid subesse, ideoque ad rem designandam illud minus idoneum esse: id non multum curo, quum *singultantes* inter atque *vomentes* tantum similitudinis intercedat, ut quod de his proprie usurpatur verbum, haud inepte ad illos transferatur. Ita Quinct. XI, 3, 27. *eiecto* modo *vomitu;* et a Cicerone iunguntur Orat. in Pison. c. 6. *eructando eiicere.*

11 Est igitur usus quidam irrationalis, quem Graeci ἄλογον τριβὴν vocant, qua manus in scribendo decurrit, qua oculi totos simul in lectione versus flexusque eorum et transitus intuentur, et ante sequentia vident quam priora dixerunt. Quo constant miracula illa in scenis pilariorum ac ventilatorum, ut ea quae emiserint ultro ve-
12 nire in manus credas et qua iubentur decurrere. Sed hic

§. 11. *usus quidam.* In Camp. *via quaedam*, scil. fluxit haec scriptura ex Tur. in quo: *vivi q.* — *irrationalis.* Hanc vocem ex prioribus nonn. editt. revocavit Spald. et saeculi et scriptoris sui ingenio et auctoritati consulens, quamquam Codd. fere omnes et editt. Jonge plurimi *irrationabilis* tuentur. Sed unus saltem alio quodam loco II, 16, 16. adest nostrae scripturae gravissimus patronus ac testis Cod. Tur. cui confidere non erat temerarii vel imprudentis, sed circumspecti iudicii hominis et qui colorem Romanum posteriorum saeculorum sordibus commaculare nefas haberet. In quo id unum mirandum, quod etiam Obrechtum quum a malis moribus reliquorum in multis dissentiret, prava consuetudo corruptum retinuit: contra librarios altero illo vocabulo vehementer delectatos ununique ab altero illud mutuatum esse eo minus miror, quo magis medio aevo quod vocatur pro *rationalis* altera illa vox in ore atque oratione hominum vigebat. — *qua.* Ita Codd. optimi et editt. nonn. iisque obsecutus est Spald. Reliq. *quo.* Sic Obr. Gesn. — *flexusque.* Tur. Camp. *fluxus.* Similis librariorum lapsus in aliis quoque locis deprehenditur. Cfr. Burm ad Quinct. I, 8. p. 96. — *emiserint.* Guelf. et Ambr. 2. *miserint.* — *iubentur.* Tur. dat: *iuventur*; unde per miram sed non infrequentem vitiorum consociationem in Almel. *iuventus.* Scilicet innumeris locis literae *v* et *b* inter se commutatae.

§. 12. *si ea de qua locuti sumus.* Haec qualia vulgo in libris exarata leguntur, a plerisque sana habentur, neque in aliis Codd. praeter Tur. et Flor. meliora quaedam video, quae probem; neque deteriora sequi placet: atqui prava et corrupta censeo vulgata. Nam quid illud est quod exhibet Tur: *alia si eum tota loca locuti?* Flor. paucis mutatis pro *eum* dat *ea*, et *locutis*; a s. m. *si ea tota de qua l.* Et simile quid sibi arrogavit Goth. His tam gravibus testimoniis ut aliquam certe fidem habeamus non solum ratio quam adhuc secuti sumus postulat, sed sensus efflagitat, quem toti enunciationi subesse putamus. Considerauti enim qui sit *usus*, quae *ars*, primum in mentem incurrit, quae sit notionum vaga ac paene infinita conditio; unde scriptorum diligentissimus quisque necessario cogitur certas aliquas notas addere, quibus eiusmodi vocabula distinctius definiantur. Factum id est a Quinctil. dum *usum* describit *irrationalem*; atque ad hanc notam referas pronomen *hic.* Iam ad *artem* accuratius distinguendam addidisse ferunt: *ea de qua locuti sumus.* Quaeritur: *ubi* ista disputata leguntur? Ablegantur haec ita quaeritantes ad §. 5 — 7. ibi enim uberius exposita esse quibus *ars* illa contineatur. Verum id ita habere valde dubito: scilicet *via* est quae describitur, *ratio* ac *methodus*, ut hoc utar,

usus ita proderit, si ea de qua locuti sumus ars antecesserit, ut ipsum illud, quod in se rationem non habet, in ratione versetur. Nam mihi ne dicere quidem videtur nisi qui disposite, ornate, copiose dicit, sed tumultuari: nec fortuiti sermonis contextum mirabor unquam, quem 13

quae ipsa in *arte* sita est, a qua pendet, cui paret. Quantum enim inter se distet *ars* proprie dicta a *ratione* s. *via* id pluribus demonstrare supervacaneum foret: satis sit commonefacere studiosos, omnem *artem* positam esse in *praeceptis* naturali quodam ordine collocatis et in firmo ac stabili veluti fundamento exstructis. Vnde id consequens est, ut omnis *usus* fluxus sit et incertus et mobilis; *ars* firma, constans, temperata. Atqui nonnisi ex *artis* conscientia enascitur oratori *securitas* illa ac *firmimitas;* ergo etiam hoc loco *arti* similis aliqua et naturae conveniens tribuenda erit vis ac potestas. Itaque bono animo scribamus: *hic usus ita proderit, si eum tuta aliqua, de qua locuti sumus, ars etc. Artem* vero intellige totam illam institutionem, oratoriam maxime *inveniendi, disponendi, eloquendi*; pronomen autem *aliqua* scriptorem usurpasse cogita, ut restringeret notionem *artis* vel *scientiae;* ita ut sit: *ex parte*, etiamsi non *tota* ac *plena*, utpote quod est perfecti et consummati oratoris. Deinde hoc modo explicari posse videbatur, unde acciderit, quod verba *de qua* omissa sunt in Tur. Flor. quemadmodum etiam suspicari licet *aliqua* latere in illis: *tota loca. — tumultuari.* Ita Tur. Guelf. Ambr. 2. In plerisque est: *tumultuarii;* unde illud enatum, quod in editt. paene omnibus legitur: *Sed nec tumultuarii nec fort.* Meliora primus restituit Spalding., nam vere inepta erat ista copulatio *tumultuarii* ac *fortuiti* sermonis, non tam per se spectata, quam si de *contextu* cogitas, qui si quid video, nonnisi *fortuiti* sermonis esse potest.

§. 13. *video: cum eo quod.* Ita ex Tur. Flor. Guelf. locum refinxerat Spald, praeeunt. Iens. Tarv. et editt. ante Bad. Accedunt nunc Paris. 1. 5. 6. et Ambr. 2. nisi quod in Codd. deest *video*, except. Voss. 2. Goth. Vulgo datur post *video* nihil nisi: *quem*, et post *frequenter* insertum habent *enim*, ita ut ante *Deum* plena interpunctione sublata, uno tenore haec omnia efferantur usque ad *dictitabant.* At ego malui exempla sequi Campan. Vall. Andr. Bodl. Obrecht; in quibus tantum est: *video quod.* Nimirum *quod* explicatum puto ab aliquo, addito illo: *quum;* atque ut ita statuerem, prae ceteris monuit illud, quod verba: *quem iurgantibus — video* nihil enunciant nisi per parenthesin additam quasi notam, ita ut coniunctione *quod* significatam habeas caussam sententiae modo prolatae: *nec — mirabor unquam.* Ac nescio ubi aptius et magis ex sensu antiquorum scriptorum adhiberi potuerit *quod* illud caussale, quam hoc loco, ubi caussa indicabatur in facto posita. Accedit alia ratio, non parvi aestimanda, a nobis nuper neglecta, (cfr. ad vers. p. 198.) nunc eruditorum iudicio subiicienda. Laudaverat exempli gratia cl. Spald. similem structuram ex Institt. II, 4, 30. ubi legitur: *cum eo quidem, quod vix ullus est tam communis locus.* Sed quemadmodum in multis aliis locis ita et hic cavendum erat, ne diversa commiscerentur, quod etiam a nobis factum esse dole-

**iurgantibus etiam mulierculis superfluere video, quod, si calor ac spiritus tulit, frequenter accidit, ut successum ex-**
**14 temporalem consequi cura non possit. Deum tunc affuisse,**

mus, quamquam id non raro accidit, ut excellentis cuiusdam hominis auctoritas tantum nobis imponat, ut vel in errores, si qua sunt, facile nos abstrahi patiamur. Iam vero id observasse videmur, *cum eo* nonnisi tunc usurpatum esse bonis scriptoribus, ubi aliquid certi et indubitati *adnumerabatur* vel *adiungebatur*, ita ut enunciatio esset ex genere *coordinato*. Atqui in eiusmodi enunciationibus singularis quaedam valet conditio ea, quod particula *cum* semper cohaeret, arcto veluti ac paene necessario vinculo copulata, cum *verbo* membri superioris, quo scilicet continetur iudicium auctoris, vel cum universa aliqua notione *pluribus verbis* communi, veluti *est, fit, accidit*. Iam vero quum *verbum* quo referatur *cum eo*, nostro loco aliud esse nequeat nisi *mirabor*, sua quemque docebit mens, structuram illam, quam Spalding. denuo revocavit, ferri non posse, tum quia caussa addenda erat cur non *miraretur*, tum, quia scriptori subtilius discernenti dicendum erat: *non magis quam quod* etc. sc. *mirabor*. At sunt fortasse quibus magis placet verba *cum eo* referre ad *video*, ita ut sententiam auctoris fuisse contendant: et in *iurgantibus mulierculis* et *in aliis simile quid se animadvertisse:* in quo, nisi fallor maxime offensioni est illa muliercularum et oratorum importuna societas. An fuit olim: *adeo quod*: facilis enim erat nec infrequens commutatio vocum *adeo* et *ideo*. Cfr. Drakenb. ad Liv. X, 5, 14. Ita enim caussa aliqua probabilis patet, cur in multis Codd. optimae stirpis omissum sit: *video*. Quod si ponimus, tunc orationem ita continuatam cogitabimus, ut verba inde a *quod — accidit*, membrum interpositum habeamus, et *adeo — ut* proxime se excipiant. An a prima manu simpliciter scriptum erat: *eo quod?* Sed haec omnia non tanquam legem promulgavi, sed ad quaestionem proposui.

§. 14. *quam id evenisset*. Locus haud dubie mutilus, ita uti nunc est, restitutus ex Almel. sed non ad integrum, quoniam quid reconditum lateat sub notis Codd. admodum obscuris, erui nequit. Coniecit Burmann. *quum maxime*, cuius glossa fuerit illud: *quum id even*. Ac facile pro interpretamento haec verba haberi potuere: nam in Codd. Tur. et Flor. nihil datur nisi: *inter* vel *interim;* atque hoc cum Frotsch. recipiendum puto, quum nihil obstet et verba ipsa statim sequentia: *sed ratio manifesta est*, optime sententiam adiuvent. Scilicet notare voluit Quinctil. quae antiquorum hac de re fuerit temporaria quasi opinio et quod rectum de eadem re iudicium. — *ut Cicero (dicit) aiebant*. Exarantur haec ad exemplum Cod. Florent. nisi quod in hoc est: *agebant;* de qua permutatione literarum cfr. Drakenb. ad Liv. 8, 33, 33. acc. Par. 1. quamquam Spaldingio melius visum est edit. Campan. sequi, in qua lectio haec est: *ait dictitabant*. Guelf. et Ambr. 2. aperte ostendunt: *dictitabant*. Sed probabilius mihi saltem videtur, illud *dictitabant* conflatum habere ex duobus: *dicit aiebant*, quam quod secus nonnulli statuere, frequentativum verbum per discissionem in duo diffluxisse. Ceterum de loco, ubi Cicero disertis ac planis verbis sententiam illam pronunciaverit, frustra quaesitum est. Laudant quidem de Orat. I, 40. sed ibi universa eloquentia potius

(quum id evenisset), veteres oratores, ut Cicero dicit, aiebant. Sed ratio manifesta est. Nam bene concepti affectus et recentes rerum imagines continuo impetu feruntur, quae nonnunquam mora stili refrigescunt et dilatae non revertuntur. Vtique vero quum infelix illa verborum cavillatio accessit et cursus ad singula vestigia restitit, non potest ferri contorta vis, sed ut optime vocum singularum cedat electio, non continua sed composita est.

C) Quare capiendae sunt illae de quibus dixi rerum 15
imagines, quas vocari φαντασίας indicavimus, *personae*, *quaestiones*, *spes*, *metus*, habenda in oculis, in affectus recipienda. Pectus est enim, quod disertos facit, et vis mentis. Ideoque imperitis quoque, si modo sunt aliquo affectu concitati, verba non desunt. Tum intenden- 16

divinitus hominibus concessa praedicatur. Mihi aliquid in mentem venit, quod reticere nolo, semel coniiciendi copia facta, num locus ita olim habuerit: *Deum tamen* (ita in Tur. pro *tunc.*) *affuisse interim cui id evenisset, veteres oratores, velut Cicero, aiebant.* Persaepe enim a glossatoribus additum est: *aiebat*, *ait* et similia. Cfr. Oudend. ad Suet. Aug. 25, 3. Duker. ad Liv. 25, 22. Pariter *cum* et *qui* passim inter se permixta. Cfr. Drakenb. ad Liv. 21, 40, 7. — *restitit.* Obrecht. solus: *resistit.* Vtra lectio potior sit, non multa indiget disquisitione; nam praeter aliam rationem quae est totius enunciationis, vel praegressum *accessit* eam debuit exercere attractionis vim in verbo sequenti. — *ferri.* Codd. Tur. Flor. (in quo tamen a sec. m. adnotatur, tanquam varians lectio: *ferri*) et Guelf. dant: *fieri.* Similis confusionis exempla deprehendes a Drakenb. enumerata ad Liv. 5, 54, 6.

§. 15. *indicavimus.* Camp. c. Bodl. Andr. exhibet: *diximus.* — *in affectus.* Guelf. *affectibus.* Cfr. ad §. 2. — *si modo sunt.* In Tur. Flor. acc. nunc Paris. I. *sint.* Probaverunt Frotsch. et Gernh. Nos potius habuimus vulgatam scripturam retinere, quia Praedicati notio circumscribitur non fortuiti et quod esse possit, sed quod esse debeat ideoque necessarii: pone pro *si* alteram illam particulam propinquam: *dum*, ac statim videbis Indicativum suum merito obtinere locum. Neque diversa est conditio illius dicti satis noti: *si quid in te artis est.* Vellej. II, 14. Curt. III, 5.

§. 16. *Tum.* In Guelf. cum Iens. Tarv. *tamen.* Simile quid supra §. 14. in Tur. et passim in Codd. Cfr. Drakenb. ad Liv. 22, 17, 5. et Goerenz ad Fin. III, 15. p. 376. Mox *tamen* et *tantum* confusa in Goth. uti innumeris aliis locis. — *ad dicendum.* Ita ex Campan. locum restituit Spald. acc. Goth. Voss. 2. Colbert. et Paris. 1. 2. et saltem ex parte Ambr. 2. In Tur. et Flor. a pr. m. *addiscendum*; unde nescio quis effinxit: *addit ad dicendum.* Atque haec sunt vulgata. — *habet.* Hanc scripturam praestant boni Codd. et editt. vetust. ante Gryph., sed Tur. et Flor.

dus animus, non in aliquam rem unam, sed in plures simul continuas: ut, si per aliquam rectam viam mittamus oculos, simul omnia quae sunt in ea circaque intuemur, non ultimum tantum videmus, sed usque ad ultimum. Ad dicendum etiam pudor stimulos habet et dicendorum exspectata laus: mirumque videri potest, quod quum stilus secreto gaudeat atque omnes arbitros reformidet, extemporalis actio auditorum frequentia, ut miles concentu
17 signorum excitatur. Namque et difficiliorem cogitatio-

a pr. m. verba inde a *habet — laus* omittunt, acc. nunc Ambr. 2. Vulgo veluti ab Obr. Gesn. in excusis exhibetur: *addit;* valde incertae originis: recte enim quaeritur, cur non amplexi sint apertam illam ac manifestam scripturam: *habet?* etiamsi praecesserit: *addit ad.* Quo facto duo veluti membra s. κῶλα evadunt non spernenda, et quae vere antea erat *Anaphorae* species, eadem manet sed paullo mutata et nescio an cum quadam elegantia. Ceterum *addidit* et *addixit* inter se confusa tibi monstrabit Oudend. ad Sueton. Aug. 32, 4. — *concentu.* Ita legendum esse puto cum Flor. Camp. acc. editt. nonn. vett. Ald. Basil. Gryph. pro vulgato: *congestu,* quamquam procul absum, ut hoc vocabulo aciem confusam et inordinatam describi putem: id quod censuit Zumpt. ad h. l. Potuit enim talis plurium manipulorum in unum locum congregatio cum ordine fieri atque consulto; cuius rei exemplum prostat Tacit. Annal. I, 18. neque video, cur non animus paucorum adspectu multitudinis recte atque ex vero dici possit animo confirmari? In uno recte haeremus, quod Quinctil. usurpavit verbum *excitari,* cuius singularis ac propria potestas ea est, ut acriorem animi commotionem denotet, exortam vel effectam a sensu quum universo, tum aurium maxime vehementius tacto. Ita exempli caussa legimus XI, 2, 33. *animus excitandus est voce.* Liv. 9, 24. *clamore excit.* et Horat. Epod. II, s. *excitatur* classico miles truci. Vel quum ad sensus etiam pertineant cupiditates, quales sunt honoris, laudis, denique affectus animi, velut timor, metus, spes et exspectatio, videbimus *excitari* tunc inprimis adhiberi, ubi huiusmodi animorum affectiones designantur. At quae in *congestu signorum* caussa excitationis est, ea est remotior et paullo obscurior; contra quae ex *concentu signorum* petitur, ea est omnibus manifesta, et *altera illa notior* et *usu militari,* in quo totius rei cardo vertitur, frequentior. Praeterea satis constat, imaginibus, quibus orationis aliqua pars illuminetur, usurpandis *tertium comparationis* non necessario ad singulas enunciationis particulas referendum esse; satis est notionis primariae attigisse similitudinem, cfr. infra §. 26. atque ea h. l. cernitur in *frequentia,* neque etiam *friget* comparatio *laudationis* quae oratori contingit a *multis* cum signorum concentu: nonne enim et illam recte dicas consonam? Itaque non audiendus est Badius, cui aliena ab hoc loco videbatur commemoratio eorum, quae auditum feriant, non oculos.

§. 17. *expellit.* Non ita securos nos esse patitur scriptura Turic. *explevit,* Flor. *explebit* et praeterea quod est in margine

nem exprimit et expellit dicendi necessitas, et secundos impetus auget placendi cupido. Adeo pretium omnia spectant, ut eloquentia quoque quamquam plurimum habeat in se voluptatis, maxime tamen praesenti fructu laudis opinionisque ducatur. Nec quisquam tantum fidat inge- 18
nio, ut id sibi speret incipienti statim posse contingere; sed sicut in cogitatione praecepimus, ita facilitatem extemporalem a parvis initiis paulatim perducemus ad summam: quae neque perfici neque contineri nisi usu potest. Ceterum pervenire eo debet, ut cogitatio non utique me- 19

Gryphii (1544) et in 3 editt. vett. *expolit*. Certe non absurdum foret: *exprimet* et *explebit*, i. e. ut verbis Sallustii utar, *cogitata dictis exaequabit*. Simili sensu Quinctil. IX, 4, 116. dicit: aures *et plena* sentiunt et parum *expleta* desiderant. Deinde observent iuniores qui sit verbi *exprimere* elegans usus: ita passim legitur: *exprimere vocem, clamorem, eiulatus*. Cfr. Interprett. ad Vellej. II, 20, p. 764. edit. Ruhnk. — *pretium*. Hanc scripturam Frotsch. ex auctoritate optimorum et longe plurimorum Codd. quibus nunc adsentiri videmus Paris. 1. 2. 6. Ambr. 2. revocavit pro vulgata: *praemium*: ea enim debebatur Regio corrigenti. Quod quamquam rectissime factum esse Spalding. ad h. l. affirmat, tamen cur repudiemus bonum honeste oblatum, et a quo probissimae manus non abhorruerunt, non video, praesertim quum *pretium* proprie hoc loco et perquam apte dictum sit. Cogita enim *praemium* latius patere atque omnino honorem spectare aliquem insignem ideoque ad animum maxime pertinere humanum, cui a natura hoc inditum est, ut laudis studio trahatur, teneatur; *pretium mercedem* ac *lucrum* continere, unde ad opes nostras et facultates fructus aliquid et utilitatis redundet. Quare saepe utraque notio copulatur: Cic. Legg. I, 18, 48. iustitia nihil expetit *praemii*, nihil *pretii*. Alia exempla innumera exstant. Cfr. Drakenb. ad Liv. 26, 40, 15. *pretia poenasque exsolvere*. Graev. ad Iustin, 9, 2, 6. Vellej. 2, 45, 2. Cicero conservatae patriae *pretium* calamitatem exilii tulit. Sallust. Cat. 49. im neque precibus, neque *pretio* — Ciceronem impellere quiverunt. — *spectant*. In Camp. et paucis Codd. minorum gentium, item in editt. ante Basil. datur: *exspectant*. Quae permutatio satis frequens. Cfr. Interprett. ad Iustin. XIII, 1, 10.

§. 18. *praecepimus*. Discedere placuit a cl. Spalding. qui ex Codd. Tur. Flor. al. et editt. vett. revocaverat *praecipimus*: eum secuti sunt Frotsch. Gernh. Nostrum vulgatum est, et inde aliquid ducit commendationis quod exempla hoc loco denotantur *proposita*, quae imitemur: *actio* igitur describitur *perfecta*, cuius quasi in praesenti facta est collocatio. — *quoque extemporalem*. In editt. omnibus praeter Camp. praepositum reperis *queque*. Codd. Tur. et Flor. nihil praestant: ego vero vocabulum exsulare aegre patiar. Interdum enim librariis praetermissum: cfr. Oudend. ad Suet. Vitell. 7. extr. Sed alia praeterea suppetit ratio, cur defendam.

§. 19. *tutior*. In Tur. erat: *utior*; inde correctoris manus effinxit: *utilior*, quod est in Flor. edit. Basil. et Gryphii priore

lior sit ea, sed tutior; quum hanc facilitatem non prosa modo multi sint consecuti, sed etiam carmine, ut Antipater Sidonius et Licinius Archias. Credendum ergo Ciceroni est; non quia nostris quoque temporibus non et fecerint quidam hoc et faciant: tamen quod ipsum non tam probabile puto (neque enim habet aut usum res aut necessitatem) quam exhortandis in hanc spem, qui foro praeparantur, utile exemplum. Neque vero tanta esse

(1536.) — *facilitatem.* Hanc scripturam nuper tutatus est Frotscher. ab immutatione, quam Spalding. repugnantibus optimis Codd. cum aliis nonn. priorum auctoritate sua comprobaverat: scil. praestare nostro aiebant: *felicitatem*: quae duae voces saepe inter se confusae. Cfr. Interprett. ad Tacit. Agric. 3. in. et Spald. ad Institt. II, 4, 17. Eandem sortem subierunt voces *felix* et *facilis*. Cfr. Duker. ad Flor. II, 6, 38. et Ruhnk. ad Vellej. II, 53. extr. Profecto enim *felicitas* h. l. adfectatae orationis speciem praefert. — *non prosa.* Vulgo inserebatur *in;* idem praemittebatur voci *carmine:* vulgatam rationem nuper amplexus est Gernh. monens praepositionem *in* necessariam esse, ne quis de *Ablativo instrumentali* vulgo appellato cogitet. Laudat locum ex Cic. Orat. III, 50, 194. ubi est: *in oratione consequamur.* Sed uti Codicum quae sunt luculenta testimonia non satis valere ad unam alteramve lectionem confirmandam lubenter fateor, potuit enim in utroque loco illud *in* a litera antecedente intercipi, quo nihil crebrius in Membranis. cfr. idem ille Ruhnk. ad Vellej. II, 25. ita non idem esse moneo *in oratione* aliquid consequi et *oratione.* Teneant modo tirones nostro loco voces *prosa* et *carmine* sensu quem dicunt *absoluto s. abstracto* usurpatas esse, ideoque optime habere *ablativum* sive instrumentalem sive *modalem* dixeris. Cfr. de *in* particula vel reiicienda vel retinenda Oudend. ad Suet. Caes. 56. extr. — *ergo.* Ita Tur. Flor. Vulgo exhibetur: *enim.* Illud non intelligo cur non pari iure locum occupet vel iam recipiat quem adhuc obtinuit vulgatum; statim enim apparebit restituendae vocis paene necessitas. — *spem.* Camp. dat ex nota Codd. Tur. et Flor. *speciem;* quae vox debetur commutationi et facili et admodum frequenti. Cfr. Drakenb. ad Liv. 3. 9, 13. qui immensum paene exemplorum recensuit numerum. Praeterea vid. Cort. ad Sall. Iug. 16, 5. Oudendorp. ad Caes. B. C. III, 98. Interprett. ad Cic. ad Div. VI, 19. — *tamen quod ipsum non tam* etc. Ita refingere placuit locum, ut concinnior evadat oratio, in nimis multos articulos discissa, certe laxiore vinculo alligata. Animum nobis adduxit, quod etiam in sequentibus varie turbatur orationis processus, codicibus Tur. et Flor. aliud alio transponentibus. Itaque ponamus sententiarum nexum hunc esse: Fides habenda est Ciceroni atque ab eo exempla ducenda; *non quia* —: *sed* (pro quo posuit: *tamen;*) quod i. e. *quoniam* etc. Rebus et verbis ita constitutis omni culpa solutum habes Quinctilianum, quum a plerisque Anacoluthi admissi h. l. arguatur. Vide Gernhard. ad h. l.

§. 20. *Neque vero tanta unquam esse debet fiducia facilitatis etc.* Habes locum mire negligentia librariorum vel inscitia de-

unquam debet fiducia facilitatis, ut non breve saltem tempus, quod nusquam fere deerit, ad ea quae dicturi simus dispicienda sumamus: quod quidem in iudiciis ac foro datur semper. Neque enim quisquam est, qui causam, quam non didicerit, agat. Declamatores quosdam per- 21
versa ducit ambitio, ut exposita controversia protinus dicere velint: quin etiam, quod est imprimis frivolum ac

pravatum, certe a naturali ordine deturbatum: quem ad pristinam integritatem ac facilitatem restituere tentavimus. A Codd. quidem Tur. et Flor. prorsus destituimur; nihil enim h. l. praebent nisi fragmenta eaque densa caligine obvoluta. Reliqui Guelf. et qui huic plerumque adfines Ambr. 2. et Paris. 1. et praeter hos Voss. 1. 3. Goth. et editt. vett. omnes consentiunt in *tanta fiducia*, atque eiusdem scripturae speciem quamquam leviorem praebent Tur. Flor. in quibus: *tantas*. Campan. cui fidem in rebus dubiis habuisse neminem facile poenituit, haec exserit: *tanta cuiquam esse debet*. At longe plurimi antiquissimorum testium spondent pro *unquam*; itaque iis obediundum esse putavi, quamquam non procul esse videbar a vero, dum a manu auctoris scriptum fuisse statuebam: *sit* pro *esse debet*, reputans, illud *sit* quam facile obrui potuerit a sequenti *fiducia*, vel si mavis, quamquam verborum numero et gravitate aliquantum repugnantibus, cogites illud *sit* positum fuisse post *facilitatis* statim sequenti *ut*: nam quod a Regio insertum est, quodque adhuc vulgatum erat: *velim*, quo iuris titulo locum ordinemque occupatum teneat, plane ignoratur; quemadmodum paucis tantum nititur testimoniis Accusativus: *tantam fiduciam*. — *simus*. Vulg. *sumus*. Nostrum a Spald. receptum ex Tur. Flor. quam recte, ne tironum quidem quemquam fugiet. — *quod quidem*. Desunt haec in Tur. Flor. c. Alm. Inde Spald. coniiciebat, pristinum ordinem fuisse hunc: *saltem tempus — sumamus: quod nusquam fere deerit, in iudiciis — datur semper*. Comprobarunt hanc transpositionem adsensu suo Wolff. et Frotsch., noluit vulgata deserere Gernhard. ita argumentatus: sibi h. l. opponi *sumamus* et *datur*; et quum *tempus* sumere requireret Accusativum, necessario verbo *datur* debuisse praeponi illud: *quod quidem*. Neque tamen prorsus reiecit coniecturam Spald. At ego equidem paullo aliter sentio: scilicet verba *quod quidem* non ad *tempus* solum referas quaeso, sed ad totam enunciationem: *tempus sibi sumere ad dispicienda etc.* At hoc ita dictum non modo non inusitatum similes loci te docebunt, sed ipsa verborum antecedentium collocatio et ratio ad hanc sententiam necessario te adducet. Cfr. Institutt. I, 10, 11 *quod si datur* scil. musicen cum divinarum etiam rerum cognitione esse coniunctam. Infra §. 22. et §. 29. *si id non dabitur*. XI, 3, 127. interim tamen recedere sensim *datur*.

§. 21. *iudicantur*. Est ex Flor et Basil. revocatum a Spald. pro vulg. *videntur*. Verba quam saepe librariis permutata: scribebatur enim per compendium: iudātur i. e. *iudicatur*. Cfr. Goerenz ad Fin. IV, 18, 26. Modo idem ille Flor. pro simplici *ridet* dederat: *irridet* a sec. m. praeposito *in se*.

scenicum, verbum petant, quo incipiant. Sed tam contumeliosos in se ridet invicem eloquentia: et qui stultis
22 videri eruditi volunt, stulti eruditis iudicantur. Si qua tamen fortuna tam subitam fecerit agendi necessitatem, mobiliore quodam opus erit ingenio et vis omnis intendenda rebus et in praesentia remittendum aliquid ex cura verborum, si consequi utrumque non dabitur. Tum et tardior pronunciatio moras habet et suspensa ac velut dubitans oratio: ut tamen deliberare, non haesitare vi-
23 deamur. Hoc, dum egredimur e portu, si nos nondum

§. 22. *mobiliore.* Flor. *meliore.* Sed Qu. Institutt. VI, 4, 8. iisdem nominibus insignivit ingenium, opus esse dicens ingenio *veloci* ac *mobili, animo praesenti et acri. — et in praes.* Pro *et* in Tur. et Flor. datur: *ne.* Puto per hos veluti gradus in illum errorem descendisse librarios: nimirum saepe confundebatur *et* cum particula *ut*. Cfr. Drakenb. ad Liv. 21, 28, 8. et Ruhnk. ad Vellej. II, 15, 1. atque *ut* passim transmutatum in *ne*. Vide eund. ad Liv. 33, 12, 6. et Cort. ad Plin. Epp. 3, 9, 8. — *si consequi.* Debemus hoc perspicaci ingenio Spaldingii, consideranti quid delitesceat in Flor. *si non sequi.* Nonnulli libri editt. vett. nihil exhibent nisi *si*, ducente gregem cod. Guelf. cum quo consentiunt Paris. 1. 6. Ambr. 2. Reliqui et longe plurimi habent: *si sequi.* Obr. Gesn. Verum id mihi persuasum est, dicendum fuisse scriptori nostro aut *consequi* aut *exsequi* aut *persequi*, verbum simplex quae hic agendae erant partes non explere.

§. 23. *ventus.* In Tur. Flor. *ventis.* Sponte se obtulit menti hoc et similia librorum manu descriptorum menda exploranti, unde potissimum exorta sint, coniiciendi opportunitas: nonne fieri potuerit, ut quae posteriorum saeculorum hominibus imprimis nationis Francogallicae aliquanto diversa esset *literarum vocalium pronunciatio*, detrimentum aliquod intulerit rectae scribendi rationi, atque idcirco non intemeratae fidei habendos esse codices illos antiquos, quos tanquam obsoletae cuiusdam scriptionis denuo recipiendae gravissimos praesides atque tutores suspicere consuevimus: in quo quid sibi vel dederit vel quantum sibi sumserit ingeniosissimus *Beierus*, non est quod moneam. Contra quam caute circumspiciendum, quam diligenter de patria unius cuiusque codicis inquirendum sit, ante quam rectae scripturae leges promulgentur: de eo praeclarius multi disputando, quam agendo meruerunt. — *potius.* Optimorum illa codd. trias, acc. Par. 1. 6. Ambr. 2. et 3. Voss. persistit in *protinus*: quod quominus per transpositionem huc delatum censeam, nihil impedit: legas enim mecum, si placet, velim: *id potius, quam protinus se inani etc.* Neque hac voce inserta debilitatam senties orationis vim, sed corroboratam. — *quo volent.* In Tur. Flor. Guelf. acc. Par. 1. 2. Ambr. 2. item in Camp. et multis editt. vett. ante Bad. exhibetur *qui.* Verum observent iuniores, *qui*, ubi est ablativus, maxime describere rationem ac modum, quo quid factum esse vel fieri mente no-

aptatis satis armamentis aget ventus: deinde paulatim simul euntes aptabimus vela et disponemus rudentes et impleri sinus optabimus. Id potius quam se inani verborum torrenti dare, quasi tempestatibus quo volent auferendum.

III. Sed non minore studio *continetur* haec facultas 24

biscum perpendimus, neque vero externam aliquam rationem, conspicuam et ante oculos positam, historicam dicere liceat et concretam, sed *universam* quandam et *absolutam*; velut Prooem. VI, 7, dissimulare *qui* possum?

§. 24. *percepta*. Ex Flor. a sec. m. Guelf. c. Goth. Voss. 2. et 3. editt. vett. affertur alia scriptura: *praecepta*. Accidit ex ritu fere sollemni librariorum. Cfr. Drakenb. ad Liv. 7, 26, 12. et quos ibi laudavit. Adde Goerenz ad Fin. I, 9. p. 42. Similem sortem subierunt graecae praepositt. πρὸς et πρό. Sed haec trita sunt et omnibus nota; illud est sagacioris ut distinguatur, utra scripturarum ubique potior sit. At ego non facile reperi locum magis impeditum ac dum speciem praefert simplicitatis, tam variae ac multiplici obnoxium interpretationi quam nostrum. Vulgaris lectio, quam retinuit Spald. acc. Frotsch. et Gernh. habet: *ars — semel percepta non labitur*: quae unde prodierint quaque auctoritate firmata sint, nemo adhuc detexit. Etenim optimi codd. una voce efferunt: *capitur*; item vetustissimi libri editt. ante Bad. sec. Nisi quod in Basil. exaratum est: *rapitur*. Cuius permutationis de more suo plura congessit exempla Drakenb. ad Liv. 3, 70, 10. Deinde Obrecht. pro *non* edidit: *mora*. Ceterum quid sit illud *labi*, nemo non videt, et Spald. similibus aliquot locis illustravit: scil. sententiam esse hanc eamque per gradationem enunciatam: artem firmissime durare, stilum non multum damni ab intermissione accipere; extemporalem facultatem in sola exercitatione sitam esse. Gesnerus eiusdem sententiae auctor addit, si cui verbum *capitur* revocandum videatur, eum vocem ita interpretari posse, ut sit idem quod *laborat* vel adeo *usum alicuius rei amittit*, quemadmodum dicatur: *captus oculis, mente, membris*. Verum haec mihi legenti mira ac paene inaudita videbantur; sed longum est rationes exponere. Itaque alia via ingressus et antiquam scripturam tueri et ingenio scriptoris debita solvere tentavi. Ipsa quidem sententia, quam paucis demonstrare voluit auctor, plana est ac perspicua, scil. ea, aeque magna cura ac diligentia opus esse ad extemporalem illam facultatem acquirendam atque ad illam continendam. Atqui eam parari scimus *arte* h. e. institutione et doctrina rhetorica, excoli et corroborari *usu* i. e. scribendo. Sed non sufficit officio extemporali *semel disciplinam percepisse*; repetendum est eius studium atque multum in ea elaborandum; *stilus* quoque i. e. scribendi exercitatio, non intermittendus; brevis enim interruptio magnum detrimentum affert. Cfr. §. 8. Igitur utrumque identidem agitandum. Vnde elucet, nostram rationem eo pertinere, ut *similitudo quaedam* ostendatur, non *diversitas*, quam animadvertere liceat inter *artem* et *stilum* et *extemporalem facultatem*: in omnes cadere illud: *repetitio est mater studiorum*: sed in hanc praeter ceteras plurimum. *Praeci-*

quam paratur. Ars enim semel percepta non labitur: stilus quoque intermissione paululum admodum de celeritate deperdit: promtum hoc et in expedito positum exercitatione sola continetur. Hac uti sic optimum est, ut quotidie dicamus audientibus pluribus, maxime de quorum simus iudicio atque opinione soliciti: rarum est enim, ut satis se quisque vereatur. Vel soli tamen dicamus po-

*pere* autem verbum Quinctiliano usitatissimum de facultate docendi literasque vel artes tradendi; veluti I, 1, 8. memorantur *praecipiendi periti*. Quae loci interpretatio si cui placet, legat: *Ars enim semel* (tantum) *praecepta* non *capitur*, i. e. intelligitur: eo enim sensu passim verbum usurpavit Quinctil. I, 1, 15. et XI, 1, 45. ubi est: vel *intelligere* vel *capere* non *posse*. Quod est deinde *paululum admodum* velim ita explices: *paululum intermissus, admodum deperdit*, veluti ad speciem dictionum satis frequentium: *obviam itio, huc ventio etc.* vel ponas: *paulum* quod est in Guelf et multis aliis ortum esse ex *parva*, quum non adeo rara sit commutatio vocabulorum *parvum* et parum. Sed haec ita a nobis prolata sunt, ut magis periculum fecisse videamur rei expediundae, quam prospere eam peregisse. In uno mea certe ratio constat, verbum *labitur* aliquid efferre alieni et inepti; nam *ars* per se spectata, scilicet consummata et perfecta, non *labi* dici potest, ne ex parte quidem; sed quatenus *mente humana percipitur*, errori exposita est et in oblivionem incidit; ergo *labi* potest. Quodsi itaque perseveramus in vulgatis, eiiciendum certe erit *labitur* et substituendum *rapitur*, praesertim quum non omni priorum saeculorum auctoritate orbatum appareat. — *deperdit* al. *perdit*. Goth. et Ienson. cum posterr. ante Gryph. — *simus*. Dant Paris 1. 2 *sumus*. De reliquis Codd nihil compertum habeo. — *atque opinione*. Vulgo scribebatur: *ac*. Nostrum primus restituit Spald. ex Camp. et Aldin. Sed de quo inter omnes nunc convenit, id denuo repetere nolumus. Cfr. Frotscher. ad h. l. et supra notata ad III, 9. — *est enim*. Deest particula in Codd. Tur. Flor. Intercidere potuit propter vicinitatem; nam scribebatur passim a librariis hoc compendio: *ei;* unde saepe fictum est *et*. Cfr. Drakenb. ad Liv. 34, 50, 7 — *quisque*. Scriptura optimor. Codd. At Regius suasor exstitit praeferendum esse: *quisquam*. Eum secuti sunt post Gryphium omnes fere editores. Obr. Gesn. Sed eorum partes sequi noluit Spalding. rationibus ductus luce clarioribus: maxime, *quod locus est quasi communis*, et qui ad *omnes spectet*, qualis ille Cornel. Attic. 11, 6. *sui cuique mores fingunt fortunam*. Haesit Regius in voce *rarum*, quasi esset negantis: at non *sententiam* negat, sed *usum;* illa manet et rationis legibus nititur, hic saepe desideratur. — *non omnino*. Ita priores omnes exhibebant. Primus Spald. suadente antea Gesnero verba transposuit, et exarari iussit: *omnino non*. Cedamus maiori, sed in usum tironum adnotare liceat, proba, non subdola arte defendi posse illud: *non omnino*, quod retinuimus vel propter solam oppositorum gravitatem magis ita elucescentem.

tius quam non omnino dicamus. Est et illa exercitatio 25
cogitandi totasque materias vel silentio (dum tamen quasi
dicat intra se ipsum) persequendi, quae nullo non et tem-
pore et loco, quando non aliud agimus, explicari potest:
et est in parte utilior quam haec proxima. Diligentius 26
enim componitur quam illa, in qua contextum dicendi in-
termittere veremur. Rursus in alia plus prior confert,
vocis firmitatem, oris facilitatem, motum corporis, qui
et ipse, ut dixi, excitat oratorem et iactatione manus,
pedis supplosione, sicut cauda leones facere dicuntur, hor-
tatur. Studendum vero semper et ubique. Neque enim 27

§. 25. *Est et illa.* Plurimi Codd. Flor. Guelf. Paris. I. 2. 6. Goth. Voss. 2. et editt. ante Stoer. acc. Obr. suadent *alia*, praemisso *est*, in Flor. *et*. Sed vulgata erat: *est illa*, quam etiam Turic. exhibet. Spalding. vero peracute quid verum quidve rectum sentiens inserendum esse censebat *et*: ei obtemperavit Frotsch. idem antea iam probaverat Wolff. Contra nunc statuit Zumpt. praestare *est alia*. Liceat rursus monere tale periodi exordium neque membro enunciationis extremo, quod incipit a verbis: *et est in parte* etc. tam apte convenire, quam nostrum, et adeo languere, quum consilium scriptoris non in eo positum sit, ut *cogitandi* exercitationem aliam addat, sed ex tempore dicendi praeparationem. Certe nonnisi aegre aliquis egebit particula *et* interposita, etiamsi alteram illam scripturam *alia* non plane condemnet. De vocibus *illi* et *alii* centies inter se permutatis cfr. Ruhnk. ad Vellej. 1, 4, 2. et infra ad §. 26. — *intra se ipsum.* Omittunt *se* Flor. Camp. et nonn. al. In Guelf. et Paris. I. 6. Ambr. 2. datur: *contra ipsum*; acc. Voss. I. 3. Iens. Tarv. Similem notavit confusionem Drakenb. ad Liv. 10, 5, 11. et 7, 40, 13. monet simul nobilissimus ille variarum scripturarum exactor huiusmodi vitia inde exorta esse, quod librarii utebantur pro syllaba *con* nota $\bar{c}$, quae non multum differat ab altera illa: $\bar{i}$, h. e. *in*. — *et temp. et loco.* In multis desunt copulae; in aliis mutatum est *et* in *te* vel in *ex* vel in *est*: sed haec et minuta sunt et ad taedium usque in libris recurrunt. — *utilior.* Miram speciem ostendunt Tur. Flor. Guelf. c. Alm. et Bern. *utilitatis.* Suspicatur Frotsch. excidisse *maioris* vel tale quid. An forte olim scriptum fuit: *et fert in parte utilitatis plus quam etc.*

§. 26. *in alia plus prior.* Hunc lectionis ordinem servant optimi Codd. praeter illos tres notissimos nunc etiam Paris. I. 2. 6. et Ambr. Alii dant: *prior plus.* Sed inde a Badio obtinuit lectio haecce: *illa prior plus.* Obr. Gesn. *alia* autem et *illa* passim inter se commutata. Exempla contulit Drakenb. ad Liv. 23, 7, 3. cfr. ad Cic. Senect. edit. Gernh. p. 252. §. 24. — *firmitatem* etc. In paucis Codd. Goth. Voss. 2. Alm. et in Camp. c. posterr. ante Leid. exc. Basil. exhibetur: *firmitate* et sic *porro.* Vnde divinabat Gesner. num olim fuerit: *firmitati* etc. Non male, sed non adest necessitas.

§. 27. *ullus d. occupatus.* In Tur. Flor. *ullis occupatis.* Cfr. supra ad §. 23. — *lucrativae:* Haec qualia sunt, praestant Codd.

fere tam est ullus dies occupatus, ut nihil lucrativae, ut Cicero Brutum facere tradit, operae ad scribendum aut legendum aut dicendam rapi aliquo momento temporis possit. Siquidem C. Carbo etiam in tabernaculo solebat
28 hac uti exercitatione dicendi. Ne id quidem tacendum,

Guelf. Paris. 2. 6. Ambr. 2. Camp. c. Goth. et posterr. ante Ald. aliique ante Rollin. In reliq. *lucri vel — operae* et ita Obr. Gesn. Cod. Tur. dat: *lucra vel ut — opera*. Flor. *lucretur vel ut opera*. Sed haec multa VV. DD. frustra adhuc e medio tollere conati sunt obstacula, in quibus gravissimum illud *lucrativae*, vocabulum cuius ne ullum quidem a scriptoribus illius aevi usum factum reperimus, orationis vero colorem Ciceronianae, quam tametsi non assecutus sit Quinctil. certe summa cum laude aemulatus est, foedissime contaminans. Minus molestum, quamquam dolendum illud est, quod qui potissimum locus Ciceronis denotetur, sine eventu quaesitum est. Laudant quidem Orat. c. 10. §. 34. sed nihil ibi commendatur nisi diligentia studiis doctrinae impendenda. Ego quondam suspicabar, num antiquitus scriptum fuerit: ut nihil *lucri velut factae*, ut Cic. etc. *operae*: in quo certe non deprecanda erit temeritas: nam et Latine et eleganter dicitur *lucri facere aliquid*. Cfr. praeter locum in vers. Germ. p. 200. laudatum Cic. Verr. III, 86. ubi: sciam lucri quantum factum sit? Deinde sententia hisce verbis expressa egregie congruit cum tota disputatione. — *aut legend.* Ita Tur. Flor. Vulgo inseritur: *ad*. Obr. Gesn. In Goth. et Camp. est *vel ad leg.* — *momento*. Camp. dat: *modo;* haud dubie ad exemplum Flor. in quo mira species ostentatur: *moden*.

§. 28. *tacendum*. Sic Spald. ex Tur. Flor. Vulgo additur *est*. — *loquemur*. Sic Paris. 2. 6. atque paene omnes libri editt. exc. Camp. in quo est: *loquimur*, acc. Tur. Flor. Goth. Paris. 1. Voss. 2. Vnus Voss. habet: *loqueremur*: quod ipsum nostram scripturam confirmat. — *sit — perfectum*. In Tur. Flor. indicia satis manifesta nobis persuadent fuisse: *sint — perfecta*. — *innatans*. Verbum accurate electum et primum comparens in edit. Stoer. sed incertae originis. Etenim in Codd. omnia turbantur. In Tur. est: *ina trans*. Flor. Camp. Paris. 2. c. Goth. Voss. 2. *intrans* quod plausum tulit multorum, velut Ald. Bad. Basil. et al. vett. In Guelf. *iura trans;* unde alii finxerunt: *una trans*. Voss. 1. 3. (et Ambr. 2. si fabula vera) Ceterum *una* et *ima* saepissime commixta esse docemur a Drakenb. ad Liv. 8, 6, 2. a Goerenz. ad Fin. II, 35. p. 293. Sed liceat in ius vocare illud *innatans*, et quaestionem instituere, num *rei* a scriptore exponendae conveniat. Spectemus singula. Primum *servabitur pondus*: quod sive in medio situm sit corpore, sive in *imo*, certe inter omnes constat non locum habere in superficie: itaque ablegandum erit ad *profundum*. Porro quae *innatant, leviora* sunt atque in *summo aequore* fluctuant: at summo oppositum est *imum;* illud dicas *altum*. Tum consideremus *rei imaginem*, qua usus est scriptor: *facilitas illa verborum*, quae simul levitas quaedam est extemporalis, ubi nullus additur scribendi usus, verendum est, ne ad *ima* i. e. intestina quasi descendat vel totum orationis corpus penetret et summa veluti rerum potiatur, sic ut tota oratio gravitate sua et dignitate destitu-

quod eidem Ciceroni placet, nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem: quidquid loquemur ubicunque, sit pro sua scilicet portione perfectum. Scribendum certe nunquam est magis quam quum multa dicemus ex tempore. Ita enim servabitur pondus et innatans illa verborum facilitas in altum reducetur: sicut rustici proximas vitis radices amputant, quae illam in summum solum ducant, ut inferiores penitus descendendo firmentur. Ac 29
nescio an, si utrumque cum cura et studio fecerimus, invicem prosit, ut scribendo dicamus diligentius, dicendo scribamus facilius. Scribendum ergo, quoties licebit; si id non dabitur, cogitandum: ab utroque exclusi debent tamen anniti, ut neque deprehensus orator neque litigator

ta ac levitatis tum rerum tum sententiarum specie induta in contemtum veniat et despectum, ipsumque ingenium oratoris paullatim corrumpat. Ista igitur facilitas in *altum* i. e. ad superficiem reducenda est, quo sua natura pertinet. — Iam vero quod sequitur exemplum a rusticis huc translatum, nihil illustrat nisi rationem, qua *pondus optime servetur*: identidem enim vidimus ex *imaginibus* allatis singulas tantummodo partes ad rem *propositam* transferendas esse, quibus illa luminis aliquid accipiat. Exemplum habes luculentum §. 26. *sicut leones* etc. Proximae enim radices amputantur; iis compares *facilitatem verborum*, quae etiam recidenda i. e. cohibenda est, quamquam id fiat ordine inverso. Sed haec scriptoris amatoribus proposita sunt, non severis iudicii nostri arbitris, quibus vix probabile redditum esse his ita disputatis spero, pristinam lectionem fuisse: *ima intrans*. — *reducetur*. In Tur. *reducemur*. Guelf. habet *reducatur*, quod deinde plures edidit. receperunt a Ienson. ad Ald. — *ducant*. In Flor. Goth. Par. 5. 6. Ambr. 2. et Camp. est *ducunt*. Nostrum in Paris. 1. 2. Indicativum non prorsus damnem.

§. 29. *nescio an si* etc. Particulam *si* quam praestant Tur. Flor. et Camp. primus revocavit Frotsch. approb. Zumptio ad h. l. Equidem mallem, si Codd. testimonia adiuvarent: *nesc. an utr. si cum cur.* — *exclusi*. In Guelf. *exclusu*, quod Burmanno occasionem dedit optandi *exclusus*. Improbat Spald., sed quidni concedamus, modo non obstet *debent*, pro quo magis placet: *debemus*. — *anniti*. Haec scriptura primum apparet in Basil. et nunc vulgata est: prope illa accedit ad lectionem Camp. Goth Voss. 2. Ald. et Bad. in quibus *inniti*. Haec autem adfinis est Vall. ubi datur: *initere*. In Tur. Flor. Guelf. exhibetur: *inicere*, unde factum est *vincere*, quod habet Iens. c. posterr. ante Ald. Sed Alm. *micere*. Suadebat Badius: *id agere*; nuper Frotsch. coniecit: *ita dicere*: quod quin et *rei* et sententiae scriptoris congruat, valde dubito: nihil enim significari potuit nisi *conatus*, quoniam conditiones prospero successui necessarias deesse a scriptore ponitur. Itaque puto sub illo *inicere* optimum Codd. latere: *evincere*.

80 destitutus esse videatur. Plerumque autem multa agentibus accidit, ut maxime necessaria et utique initia scribant, cetera quae domo afferunt, cogitatione complectantur, subitis ex tempore occurrant.

Quod fecisse M. Tullium commentariis ipsius apparet. Sed feruntur aliorum quoque et inventi forte, ut eos dicturus quisque composuerat, et in libros digesti; ut causarum quae sunt actae a Ser. Sulpicio: cuius tres orationes exstant; sed ii de quibus loquor commentarii ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis vi-
81 deantur esse compositi. Nam Ciceronis ad praesens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit: quos non ideo excuso, quia non probem, sed ut sint magis admirabiles. In hoc genere prorsus recipio hanc brevem annotationem libellosque, qui vel manu teneantur et ad quos
82 interim respicere fas sit. Illud quod Laenas praecipit,

§. 30. *afferunt.* Iens. Tarv. *afferant.* — *commentariis ipsius.* Guelf. dat: *suis*, item Goth. c. Voss. 2. Colb. Mendum exstitit ex confusis literarum ductibus. — *dicturus.* Tur. *dicturis.* cfr §. 27, 23. — *orationes.* Tur. *oratores.* Notamus quo apertius inde fiat tironibus librariorum ingenium. — *sed ii.* Sic Goth. Camp. Reliqui: *hi.* In Tur. Flor. *iis.* in iisdem paullo post pro *loquor* datur: *locis*, in quo genere attractionis, ita appellare libuit, saepe librarios deprehendimus. — *videantur esse.* al. ordine inverso. Obr. Gesn. Nostrum constituit Spald. ex opt. Codd. et editt. ante Stoer. Bad. omisit *esse.*

§. 31. *Nam.* Guelf. c. Voss. 3. *iam* ex confusione identidem repetita. Cfr. Goerenz ad Acadd. 1, 10, 34. Drakenb. ad Liv. 5, 51, 6. ad Sil. Ital. 9, 242. Nostri loci nulla difficultas, maior est in aliis, ubi utraque particula adhiberi potuit ad transitionem significandam orationemque connectendam. Tunc ita inter utramque distinxit Heindorf. ad Cic. N. D. 1, §. 30. *iam* habere vim excitandi, qua lector attentus fiat ad id quod subiiciatur; *nam* obiter magis et defunctorie afferre id, ad quod transeat oratio. Vt aliquid de meo iudicio addam, dicas: *iam* ad animum et adfectum, *nam* ad mentem referri; illam particulam de genere *subiectivo* esse, hanc de *obiectivo*, quod caussas et exempla affert. — *ideo.* Tur. Flor. c. Alm. et Ald. habent: *in eo.* Facilis erat permutatio, quum scribae vocem illam consueverant per compendium notare: *io.* — *fas sit.* Flor. *faxit:* saepe litera *x* dissolvebatur in *ss* et ita pronunciando efferebatur: inde exortum illud quod passim pro *disserit* scriptum reperitur *dixerit.* Pariter in vett. editt. *nissu* pro *nixu.* Vid. Drakenb ad Liv. 4, 32, 10. 6, 32, 10.

§. 32. *praecipit.* Tur. *praecepit.* cfr. ad §. 18. — *mihi quae — conferre.* Exarari iussimus locum ex coniectura, cuius rationem pluribus dedimus ad vers. Germ. p. 202. sq. Locus omnino,

displicet mihi, quae scripserimus velut in summas commentariorum et capita conferre. Facit enim et discendi negligentiam haec ipsa fiducia, et lacerat ac deformat

quamquam veluti in clausula totius libri, non magis vexans quam vexatus. Nam primum Codd. tres illi optimi, (acc. Pariss. 1. 2. 6. paucis commutatis) et Ambr, 2. c. Camp. inserunt: *ne in his.* Sed haec non curo; efficta enim puto ab aliquo ex voce: *mihi*: idem sentit Zumpt. ad h. l. Deinde vulgo edebatur: *in summas sive commentarios et capita;* sed ea Badius induxit, quem haud immerito et licentiae et levitatis coarguit Spalding. qui haec proponit: *mihi vel in iis quae scripserimus velut in summas commentariorum et capita conferre.* Diversae sententiae videmus esse Frotsch. qui locum ita exhiberi vult: *nec in his quae scripserimus, velim, summas in commentarium et capita conferri*: atque verba ita composita et ordinata in contexta recepit Gernhard. Ac nuper Zumpt. coniecit: *velut summas et capita in commentarium conferre;* a quo non multum abest sententia Wolffii, legere suadentis: *vel in iis q.* scr. *summam in commentarium et capita conferre* Sed iam exploremus Codd, ex quibus Tur. dat, *summas commentarium* Flor. *s. sine c.* Guelf. *s. in commentarium.* adsent. Ambr. 2. et Paris. 1. 6. In qua lectionum varietate optimum ratus sum sequi tanquam agminis ductorem Cod. Turic. illud *sive* natum esse putans e litera *s* extrema vocis *summas. Commentarium* credo Genitivi formam esse decurtatam, pro *commentariorum*; et quoniam quod est in bonis Codd. *vel,* in Flor. et Obr. *velut* ante *in summas* proscribere nefas habeo, lubenter amplector, quia aptius videtur. Apparet autem, in commentariis nonnisi rerum ac sententiarum lectarum vel auditarum summas notare solitos esse homines antiquos, atque eumdem morem sequuntur recentiores; quo fit, ut oratio non sit continua et arcte cohaerens, sed dissoluta, abrupta, quasi singulis titulis et inscriptionibus composita. — *et discendi.* Digna erat forma *ediscendi* quae restitueretur ex indiciis nonn. Codd. ex quibus Ambr. 2. manifesto dat; *ediscendi;* reliqui *edisendi;* nisi duae res suspectum redderent verbum compositum; Primum *negligentia* non tam esse videtur in *ediscendo* quam omnino in *discendo;* deinde quod adhuc fere erat in omnibus editt. *et* alteri membro tam bene convenit, ut nonnisi aegre eius ferri posse videatur absentia. — *quod non simus.* Ita Tur. aperte docet legi debere, et Alm. per compendium; neque sola erat Regii coniectura. Spaldingius negationem abiecit, confisus Guelf. Camp. et editt. ante Capper. Sed recte et olim iudicavit cl. Gesnerus, negationem abesse non posse pluribus argumentis demonstrans, et nuper sententiam Spaldingianam impugnarunt Wolff. Frotsch. Zumpt. Imprimis locus libri XI, 2, 45. testis adest omnium validissimus; *Si memoria suffragatur, tempus non defuit, nulla me velim syllaba effugiat; alioqui etiam scribere sit supervacuum.* Ceterum et alias *non* omissum est a librariis, veluti supra III, 19. Facili errore excidere potuit propter scripturarum ambiguas notas. — *persecuturi.* Revocavit Spalding. ex Flor. Guelf. et vetustis editt. Vulgatum erat inde ab Obrecht. *prosecut.* — Sed cfr. adnotatt. ad vers. p. 203. — *id quoque.* Spald. ex Tur. Flor. Camp. c. Almel. Vulg. *hic quoq.* Obr. Gesn. Pauci codd. et nonn. antiq. editt. *hoc quoq.* Cfr. de *hoc* et *id* Interprett. ad Cornel. Timoth. 2, 3.

orationem. Ego autem nec scribendum quidem puto, quod non simus memoria persecuturi. Nam id quoque accidit, ut revocet nos cogitatio ad illa elaborata nec si-
83 nat praesentem fortunam experiri. Sic anceps inter utrumque animus aestuat, quum et scripta perdidit et non quaerit nova. Sed de memoria destinatus est libro proximo locus nec huic parti subiungendus, quia sunt alia prius nobis dicenda.

§. 33. *perdidit.* al. *perdit.* Iens, et posterr. ante Stoer. praeeunt. Goth. et Voss. 2. — *dicenda.* Plerique codd. et gravioris quidem ponderis addunt; *de his* (variant scripturae; *de is* Ambr. 2. ex *deis* Tur. *de iis* Camp.) *quae sunt.* In Guelf. et Goth. simpliciter exhibentur verba; *de his.* Sed quid sibi velint haec ita appositа quum adhuc frustra quaesitum sit, saltem quae mihi in mentem incurrerit opinio, eam ut cum lectoribus communicare liceat veniam peto. Scilicet credo, librariorum aliquem verba supra commemorata adscripsisse, ut significaret librum esse imperfectum vel mancum. Desiderabat enim *alia ista prius dicenda,* quae huic libro vel ab auctore subiuncta esse, vel subiungi debuisse opinabatur. Itaque ut animam suam servaret, homo ceteroquin curiosus ac religiosus addidisse existimandus est verba: *de his quae desunt.*

I.

# INDEX HISTORICVS.

A.


*Accius* (Lucius) poeta tragicus 1, 97. vixit circiter 150 a. Chr. n. Ciceronis editores *Attium* vocant; atque eam nominis scripturam unice veram esse censet Osann. Cfr. *Bähr* Hist. Lit. Rom. §. 31.

*Aelius* (Lucius) *Stilo* (Praeconinus) M. Varronis praeceptor, grammaticus, rhetor, philosophus, etiam a Cicerone adolescente studiose auditus 1, 99. Cf. de eo Suet. illustr. gramm. cap. 3.

*Aeschines* Atheniensis orator, aemulus atque aequalis Demostheni 1, 22. 1, 77.

*Aeschylus* poeta tragicus, Eleusi natus a. 525. mort. 456. post Chr. I, 66.

*Afranius* (Lucius) Terentii aequalis, poeta comicus 1, 100. Vixit a. Chr. 110.

*Alcaeus* Mitylenaeus, poeta lyricus 1, 63. a. Chr. 600.

*Antimachus* natus Clari Ioniae urbe, vulgo Colophonius dictus, poeta epicus, Xenophonti aequalis, Thebaida fecerat 1, 53.

*Antipater Sidonius* poeta 7, 19.

*Apollonius* cuius supersunt *Argonautica* 1, 54. vel Naucratites Aegyptius, vel Alexandrinus, Alexandrinae bibliothecae aliquamdiu praefuit a. Chr. 190. Vulgo *Rhodius* dicitur, quod apud Rhodios diu vixit docuitque artem rhetoricam.

*Aratus* qui patriam habuit Ciliciae oppidum, Soli dictum, ut Antigono Gonatae Macedonum regi gratificaretur, apud quem vixit circiter 270. a. Chr. *Phaenomena* scripsit, quae Cicero admodum adolescentulus in Latinum sermonem converterat. In eo carmine Aratus ab Jove incipiendum putaverat 1, 46. 55.

*Archias* (Aul. Licinius) poeta Antiochenus, Ciceroni in primis familiaris, laudatur ab extemporali facultate 7, 19.

*Archilochus* Parius, iambici carminis inventor 1, 59. Obiit a. Chr. 664.

*Aristarchus* grammaticus Alexandrinus, natione Samothrax (ὁ κορυφαῖος τῶν γραμματικῶν) (a. Chr. 156.) cum Aristophane Byzantio confecit canonem scriptorum, 1, 54. 59. quem etiam secutus est Quinctilianus libro X. ubi classicorum quos dicimus scriptorum censum agit. Cfr. Ruhnk. in Hist. crit. Oratt. Graec. Rutil. Lup. praemissa. p. 95.

*Aristophanes* Byzantius, grammaticus Alexandrinus, qui cum Aristarcho certum omnis generis scriptorum Graecorum delectum habuit 1, 54. Cf. Wolfg. Proleg. Homer.

pag. 216. sqq. — *Aristophanes* nobilissimus poeta comicus 1, 65. Inde ab anno a. Chr. 431 — 386.

*Aristoteles* Stagirites, quem Alexander M. praeceptorem habuit, 1, 83. Nat. a. Chr. 384. obiit 322.

*Asinius Pollio* (C.), ingenio, doctrina, belli et pacis artibus notabilis, Virgilio, Horatio et Augusto amicus, artium et literarum fautor ac patronus eximius, primam Romae bibliothecam publicavit in atrio Libertatis a. u. 716. a. Chr. 38. De eo iudicium 1, 113. cf. 2, 17. et 25. dixit pro Asprenate 1. 22. defendit eosdem cum Messala 1, 24. Singularem de eo nuper conscripsit libellum J. R. *Thorbecke:* Commentatio de Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae. Lugd. Bat. 1820.

*Asprēnas* (C. Nonius) 1, 22. reus factus a Cassio Severo, quod teste Plin. H. N. 35, 12, 46. unius patinae veneno necasset CXXX. convivas Cfr. Suet. Aug. 56.

B.

*Bassus Aufidius* historiarum scriptor. 1, 103. Augusti (mort. 14. p. Chr.) et Tiberii (mort. 37. p. Chr.) tempore vixit.

*Bibaculus* (M. Furius) 1, 96. Vixit circa a. a. Chr. 103. *Alpinus* cognominatus. Cfr. Weichert: de *Turgido Alpino* sive Marco Furio Bibaculo ad locum Horat. Sat. I, 10, 36. explicandum. Grimmae 1822. Ibid. Bentley. et Heindorf.

*Brutus* (M. Iunius). Praestantior philosophus quam orator 1, 123. pro Milone orationem exercitationis caussa scripsit 1, 23. 5, 20. in maximis occupationibus nunquam intermittebat studia doctrinae 7, 27. Vid. Ellendt. Histor. Eloq. Rom. pag. 127. sqq. Eum ex interfectoribus Caesaris fuisse constat.

C.

*Caecilius* (Statius) Insuber Gallus, poeta comicus, imitator Menandri. 1, 99. anno post Ennium mortuus, 168. ante Chr.

*Caesar* (C. Iulius) 1, 114. 2, 25. cum Marcello solus ex omnibus aetatis suae oratoribus a Cicerone in Bruto laudatur 1, 38. Vid. Ellendt. Histor. Eloq. Rom. pag 126. sq. Nat. a. Chr. 99. necat. 44. Id. Mart.

*Caesar* (Domitianus Imp.) 1, 92. Interiit 96. p. Chr.

*Caesius Bassus* poeta lyricus Persio familiaris 1, 96. Eadem qua Plinius maior Vesuvii conflagratione periisse dicitur. Mense Aug. a. 79. p. Chr.

*Calidius* (Marcus) orator prope singularis, Ciceroni aequalis, de domo Ciceronis dixit. 1, 23. Cf. Cic. Brut. cap. 79. 80. Ellendt. Histor. Eloq. Rom. pag. 107. sq.

*Callimachus Battiades* Cyrenaeus, poeta et grammaticus ille notus 1. 58. Vixit Alexandriae sub Ptolemaeo Philadelpho, ubi primum literas docuit, post in aulam receptus, circa ann. a. Chr. 270 — 247. In discipulis habuit Apollonium Rhodium. Eum prae ceteris imitatus est *Propertius*. Cfr. Baehr l. l. §. 138. 39.

*Calvus* (C. Licinius) Ciceroni aequalis orator 1, 115. 2, 25. Ellendt. Hist. Eloq. Rom. pag. 118. sqq.

*Carbo* (C. Papirius) eloquentissimus sui temporis patronus etiam in tabernaculo exercitatione dicendi usus dicitur 7, 27. Fuit tribunus plebis,

Gracchanarum turbarum socius; in consulatu 120. a. Chr. L. Opimium, maiestatis crimine accusatum, quod C. Gracchum interfecisset, defendit. Sed eundem bellicas res gessisse quum nusquam scriptum reperiatur, ea admodum probabilis sententia est, Fabium de Caio quidem Carbone cogitasse, sed *rerum castrensium* commemorationem proprie pertinere ad Cnaeum Carbonem ter Cos. itaque memoria lapsum esse Quinctilianum et duas inter se diversas personas in unam veluti confudisse. Cf. Ellendt. Hist. Eloq. Rom. pag. 35. seq.

*Cassius Severus* clarus orator sub Augusto et Tiberio. De eo iudicium 1, 116. Asprenatem Nonium veneficii accusavit 1, 22.

*Catius* Insuber, i. e. ex Gallia Transpadana oriundus, Epicureus vixit tempore Ciceronis 1, 124. sed prius e vita discessit. Cfr. Cic. ad Div. 15, 16. Memoratur I, 124.

*Cato* (M. qui vulgo dicitur Uticensis) Marciam tradidit Hortensio 5, 13. Non tam eloquentiae nomine a Quinctil. appellatur, quam ob ingenium et mores laudatur.

*Catullus* (C. Valerius) poeta 1, 96. Natus circa a. 87. a. Chr. De anno aetatis quoad vixerit, nihil certi comperimus.

*Celsus* (Aul. Cornelius) cuius ex multis quae scripsit ad nostram aetatem pervenerunt libri VIII. de re medica 1, 124. quidam error eius 1, 23. Vixit ex sententia plurimorum temporibus Augusti, quamquam nuper vir quidam doctus eum natum esse contendit sub Tiberio, atque vitam duxisse usque ad Trajanum. Cfr. Baehr l. l. §. 333. Not. 1.

*Cestius* homo Graecae originis, vulgo creditur *Smyrnaeus* rhetoricen factitans Romae, qui solebat rescribere Ciceronis orationibus 5, 20.

*Charisius* orator Atticus, aequalis Demetrii Phalerei, a. Chr. 318. cuius orationes commendantur 1, 70. Cf. Ruhnk. ad Rutil. Lup. pag. 37.

*Cicero* (M. Tullius). Ante Chr. 106 — 43. Eius cum Demosthene comparatio 1, 105. sq. se totum ad Graecorum imitationem contulit 1, 108. in philosophia Platonis aemulus 1, 123. ex philosophis plurimum se traxisse eloquentiae confitetur 1, 81. se ab illis quoque vetustissimis auctoribus, quanquam arte carentibus plurimum fatetur adiutum 1, 40. in poetarum lectione requiescendum putat 1, 27. cf. 5, 16. stilum vocavit optimum effectorem ac magistrum dicendi 3, 1. ei placet, nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem 7, 28. libros quosdam Platonis atque Xenophontis in Latinum vertit 5, 2. ei dormitare nonnunquam Demosthenes videtur 1, 24. nec Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles oratori putat 1, 33. Demetrium Phalerea in medio genere dicendi praefert omnibus 1, 80. eius de Calvo iudicium 1, 115. Hortensium, Metrodorum et Empylum ab insigni memoriae praestantia laudat 6, 4. ab eximia in literis assiduitate Brutum 7, 27. veterum oratorum de successu extemporali sententiam prodidisse dicitur 7, 14. extemporalem facultatem praedicat in Antipatro Sidonio et Licin. Archia 7, 19. eius commentarii 7, 30. vitiosi eius imitatores 2, 17. non solus imitandus 2, 24

*Cinna* (C. Helvius) poeta Augu-

sti tempore et amicus Catulli, historiam Myrrhae vel Zmyrnae carmine exposuit, cui novem annos impendisse fertur. Cfr. Gierig. ad Ovid. Met. X, 298. 4, 4. Exstant de hoc poeta duae commentationes Augusti Weicherti, Grimmae 1822. et 1823. 4. editae.

*Clitarchus* l. 74. res ab Alexandro M. quem comitatus erat, gestas exposuit. Ipse Alex. M. inde ab a. 356 ad 323. ante Chr.

*Coelius* (M. Rufus) orator meliore ingenio quam moribus 1, 115. 2, 25. virili toga sumta statim a patre ad Ciceronem eloquentia tunc et moribus iam probatum deductus est. Interfectus est circa Turios in tumultu civili a. Chr. 48. Vid. Manut. ad Cic. Epp. ad Div. VIII. Ellendt. Hist. Eloq. Rom. p. 109. sqq.

